ANNVS SACER POETICVS,

SIVE

Selecta de Diuis Cælitibus

EPIGRAMMATA

In singulos Anni dies tributa.

TOMVS SECVNDVS.

IVLIVS.	OCTOBER.
AVGVSTVS.	NOVEMBER.
SEPTEMBER.	DECEMBER.



PARISIIS,
Apud IOANNEM HENAVLT, Bibliopolam
Iuratum, viâ Iacobæâ, sub signo
Angeli Custodis.

M. DC. LXV.

Cum Priuilegio Regis Christianissimi.



CLARISSIMO
ILLVSTRISSIMOQVE VIRO D.
DOMINO DE MACHAVLT,
IN AMPLIORI REGIS
CONSILIO PRÆSIDI
MERITISSIMO.

P. F.

NON egebat Admißionali ANNVS HIC SACER, PRÆSES AMPLISSIME, *vt diuerteret ad Te, cui iàm hæreditatis nomine pridem obuenerat. Non erat opus commendatitijs, vt hac Editione posthumâ prodiret in lucem, qui suâ se satis ac Nominis Tui Claritudine proderet. Æquum tamen fuit, vt intelligerent Posteri, eâ olim* IVSTVM PETRVM SAVTEL *fuisse in Te obseruantiâ dum viueret, vt moriens Opellam hanc suam, quod Mihi pa-*

làm apertéque ſignificauit, Tibi vni, Teſtamento legarit. Intelligebat nimirùm vir prudentiſsimus, Te qui tam ſapienter ad Iuris & æqui trutinam alienæ rei momenta ſoles expendere, non iniquum ac difficilem fore Patronum, imo Iudicem Tuæ. Nouerat inſuper rei Te Poëticæ peritiſsimum eſſe, nec minus in Poëtarum Senatu, quàm in Ampliori Regis Conſilio Præſidem meritiſsimum: Atque adeò optauit Prolem hanc ſuam, extincto Patre in ſinu Tuo quieſcere commodiùs feliciúſve, quàm vſpiam alibi. Coërcuit ille quidem in Poëticæ breuitatis anguſtias Sanctorum Elogia: Tùm quia ſuos etiam numeros habent Iuſtorum virtutes, quarum in Te ſuauis concentus & amabilis decor exiſtit: Tùm quia voluit IVSTVS, *vt eorum facta iucundiùs ac breuiori temporis impendio decurreres, nec effugeres vmquam, quìn vbiquè Teipſum, veluti natiuo quodam parabilique in ſpeculo, nec ſine ſenſu pietatis agnoſceres. Fecerunt*

hæc aliáque non pauca, vt IVSTVS ANNI SACRI *Te nuncuparit Hæredem*, PRÆSES AMPLISSIME. *Fauet, si mea Me spes & vota non fallunt, Tua olim in eum beneuolentia atque humanitas singularis, fauet stylus Opusculi Latinus & Castus, elegantem quamdam præ se indolem ferens, non anxiè, non molestè diligens, magísque similis negligenti, ne repulsam à Te quantumuis accuratissimo patiatur. Accipe igitur hoc qualecúmque symbolum Obseruantiæ, quâ Te olim coluit* IVSTVS; *pro grauissimi, quod sustines muneris amplitudine, paruum; pro argumenti dignitate pretiosum; pro Autoris in Te reuerentiâ non contemnendum; pro Tua in Societatem nostram propensione non iniucundum; pro Tua denique in Me, qui Testamentariæ procurationi præpositus ab Autore fui, humanitate non ingratum. Id certè si Tibi placuerit, Nemini displicebit: aut si quem fortè Zoï-*

lum nanciſcatur ; hoc in præcipuâ felicitatis ſuæ parte reponet, quòd Te nactus ſit defenſorem. Vale & me Ama,

DOMINATIONI TVÆ

Addictiſſimum
P. CALMELS.
è Societate IESV.

Εὐχαριστήριον

LVD. DE MACHAVLT,

CONSILIARII CONSISTORIANI, & in magno Regis Antiquioris Præsidis Consilio,

de legato Reuerendi Patris SAVTELLI è Societate IESV relicto.



SILERE accepto beneficio, & grati animi significationem premere, hominis est inuitis Gratijs nati & planè ἀχαρίστου: at vero id prædicare tenuiter, frigidè laudare, nec satis pro dignitate & merito efferre, est eiusdem beneficij magnitudinem imminuere. Ea cogitatio dum subit animum, anceps hæreo in rependenda gratia, quam debere me profiteor τῷ μακαρίτῃ SAVTELLO, qui me non modò viuens officiosè coluit, sed moriens grati animi hoc μνημόσυνον ad me deferri supremis verbis cauit, mandauitque. Verùm in reddenda gratia quo eloquij genere hominis de me benè meriti memoriam exornabo? An vernaculâ linguâ & patrio sermone? Ita pauci intelli-

gent quantum homini debeam. An Latio & Romano? Ita quidem magnitudo beneficij hoc à me exigit, plures vt resciant. Sed ætas quam ago iam inclinans, vitæ genus rebus forensibus occupatum, & velut vndis negotiorum ciuilium mersum, non ferunt patiuntúrque eam esse in me sermonis Latini elégantiam, quam mihi suppetere optarêm, ad exornandam hominis beneficentissimi memoriam. Fateor enim ingenuè dùm ætas melior erat & virerent genua, calentibus ipsis Rhetorum studijs, habuisse in delicijs & quæsijsse omnes dicendi veneres & lepores, atque in pectenda & comenda cum cura oratione operam fortassis non pœnitndam posuisse; sed cum iam ex paupertate Latini sermonis laborem, cuius diuitias si non aliquando domi habui, saltem expetiui; cum illa Latinè scribendi facultas quæ à me plurimi fiebat, iampridem exaruerit, ab eo scilicet tempore quo per amplissimos publicorum munerum gradus, decurso meliore vitæ spatio, huic tandem foro tanquàm ad scopulum affixus atque adhærescens, Gallica nostra pessima, Romanis & Græcis longè optimis cogor anteponere, metuo ne dùm officiosus haberi cupio, incomptus minúsque elegans deprehendar.

Quidquid ſit, certum eſt cum famæ & exi-ſtimationis periculo, iudiciorum aleam licet dubiam experiri, malo in referenda gratia rudis & indiſertus, quàm officiperda audire. Si quid mihi in prædicando beneficio ἀκυρον exciderit; ſi quæ ſtribligo inter ſcribendum irrepſerit, ætas apud rerum æquos æſtimatores facilè veniam impetrauerit. Solœcum feciſſe, oſcitantis eſt & aliud quaſi agentis; ingrati animi crimen incurriſſe, hominis eſt improbè nati. Itaque vt agnoſcendo beneficium, debiti partem exſoluam; lubens & ingenuè fateor, me amiciſſimo SAVTELLO duplam gratiam debere, & quòd ipſo munuſculo omni auro cariore me bearit; & quòd moriens tam magnificè de me ſenſerit: cùm enim videatur non aliud eſſe ſolatium mortis, quàm voluntas vltra mortem, probéque intelligeret vir meritiſſimus, teſtamenta hominum eſſe quæ omnem fatentur affe-ctum, ita ſupremas tabulas ordinauit, vt ex his liqueret quàm ſincerè & ex animo nos amarit, nec amplius meo iudicio mutui amoris & beneuolentiæ teſtatius argumentum edere potuit, quàm quod in ima eius cera habetur expreſſum: ita namque naturâ comparatum eſt & fieri amat in vita, vt amicitiæ vinculum, quo homines

inter ſe mutuis officijs colligati tenentur, dùm inter viuos agunt, remiſſius & ſolutius; inſtante verò fatali horâ intenſius ſit: ſicque qui aliàs tepebant & frigebant amoris igniculi, ſub ipſum vitæ tempus extremum recaleſcant, atque nouas flammas concipiant. Debere nos inſuper plurimùm agnoſcimus venerandorum Patrum ſollicitudini, quos SAVTELLVS habuit ſupremæ ſuæ voluntatis fidos interpretes; illi namque cùm intelligerent præcipuum munus amicorum eſſe, defunctum non ignauo queſtu proſequi, ſed quæ voluerit meminiſſe, quæ mandauerit, exequi, nullam moram interponentes, Legatum ad me deferendum curarunt, ſicque illis eo nomine gratiam habeo ſempiternam.

Atque vt aliquid dicam de terſis illis & limatis Verſibus, quos vir pijſſimus poſteritati reliquit, cùm lucubrationes hominum fœturæ ſint ingeniorum, morum ſpecula, in quibus non adumbrata modò, ſed expreſſa vitæ hominis ſpirans imago elucet; verè & audacter aſſeuerare poſſumus, μακαρίτην, breuibus illis lineis delineaſſe & tanquam in compendio & tabella exigua exſcripſiſſe omnem anteactæ vitæ ſuæ rationem; etenim morum ſinceritas & candor cum vitæ integritate & ſancti-

monia in Reuerendo illo Patre, parem inter se mixturam fecerant, dubium vt esset, vtra earum potior haberetur. Nihil illo viro grauius & sanctius vniuersus Ordo agnouit; homo virtuti simillimus, qui numquam recte fecit vt facere videretur, sed quia aliter facere non poterat; cuique solum idipsum visum est in vita rationem habere, quod haberet iustitiam. Ausim meo periculo spondere futurum, vt hoc egregium Viri optimi monumentum, non modò apud pium, sed & eruditum Lectorem recto stet talo, plausum & ἐπισημασίαν ferat, dùm Religio Catholica stabit; dùm boni mores valebunt, hoc elucubratum opus plenis gloriæ velis feretur, fiet per ipsa quæ scripsit sibi superstes Vir immortalitate dignissimus, neque fugientis æui & omnia obliterantis iniurias vmquam sentiet. Etenim Annus Sacer, Sanctorum qui per anni currentis singulos dies occurrunt, elogia & πανηγυρικοὶ λόγοι, mirum dictu quantum hi valeant ad benè moratos homines efficiendos, cum in singulis habeant Religionis Candidati, pietatis studiosi cultores quod imitentur; nullum siquidem potentius incentiuum ad bene agendum & res magnas aggrediendas, quam dùm eorum, qui nos in stadio virtutis præcesse-

funt, vitam anteactam recolimus, & res ab ijsdem præclarè gestas, memoriâ repetimus. Hæc si semel animo sedeant altius infixa, numquam à recto tramite declinabimus. Etenim Deus Optumus Maximus nobiles illas animas exciuit, præstantes illos Heroas, verè πεπλασμένα ἐκ Διὸς ἔρνη robora virtutis esse voluit, qui nobis exemplo suo prælucerent, animos adderent ad altiora capessenda, & nobis in hæc statione mortali positis, in ipsis adhuc palæstræ carceribus sudantibus, in hoc scammate anhelantibus, emeriti illi & nobiles Athletæ decoro puluere sordidi, & plurimis palmis insignes, lampadem traderent. Proinde frugifera lectio istius Anni Sacri futura omnibus qui in virtute proficere laborant, atque ijs maximè, qui lubricum Iuuentæ ingressi fuerint, cùm in eo ætatis flexu, homines suopte genio in vitia propendeant, ipsis voluptatum illecebris tum blandientibus & ad omne nefas & illicitum etiam inuitos & reluctantes pellicientibus. Nec modò ætas ea cothurno versatilior & præceps in omne nequitiæ genus, & quam facilè vel leuissimi perturbationum venti de gradu virtutis facilè dejecerint, ex ea lectione plurimùm adiumenti inuenerit; sed & senilis, eáque inclinans & composita,

quæ rebus omnibus voluptuarijs iampridem deferbuerit, obfirmata aduersus quæque ingruentia, ex lectione istius Anni Sacri fructum non mediocrem perceptura. Et certè in hoc Autumno ætatis meæ, senectutis limine ac vestibulo, hunc Annum Sacrum mihi à Religiosissimo Patre simul & amicissimo, dono legatum, habere consilium est pro solatio & fomento grauiorum, quæ in hanc malam ætatem breui affuturam incurrere solent; hunc legere, imò relegere iuuabit, illiúsque lectioni adhærere & immori certum est, moréisque meos ad eorum quorum vitas scripsit exempla componere, ab his vitæ regulam omnem petere æquum est, hos tanquam benigna sydera de cœlo collucentia Dioscuros salutares spectare, intueri par est, & exorare vt fragilem hanc nostram ratem, mare hoc aliàs iratum & procellosum sulcantem, regere & moderari clauúmque in ea tenere dignentur, vt fauentibus ventis, secundo cursu ad eum quem spiramus & speramus portum, salui & incolumes enatemus.



ELOGIVM FVNEBRE
R. PATRIS
PETRI IVSTI SAVTEL
E SOCIETATE IESV,
Ætatis huius nostræ Poëtæ Clarissimi.

I.

PETRVS IVSTVS SAVTEL è Societate Iesu, Delphinas Patriâ, domo Valentinas, maturâ si virtutem, immaturâ, si ætatem spectaueris, morte præreptus est. Turnoni octauâ die Iulij anni 1662. quadragesimum nonum vitæ annum, ingenti omnium luctu, nec sine opinione sanctitatis, sacris omnibus ritè procuratus, placidissimâ morte conclusit. Indeque vt piè credere fas est, *Iustum deduxit Dominus per vias rectas, vt ostenderet illi Regnum Dei.*

II.

Vir fuit Ingenij politissimi, literisque humanioribus apprimè exculti. Poëticam ac Rhetoricam per annos plures magnâ cum laude professus est. Natus in-primis Apolline non irato, facilem Heliconis aditum nullisque vepribus impeditum inuênit, & viam, si quis alius, nouit quâ sit eundum ad carmen.



MENSIS IVLIVS.

PRIMA IVLII.

S. RVMOLDVS *Episc. Dublinensis, è fluuio in quem à Prædonibus fuerat coniectus, à Piscatore extrahitur.*

I.

SAcrilego, Rumolde, iaces malè proditus ictu,
 Dùm sibi fur largas sperat auarus opes.
Hei mihi! tergeminus sceleris sunt præmia nūmus,
 Qui tibi, non ingens gaza, superstes erat.
At trepidi dùm crimen auent celare latrones,
 Mitteris in cæcum, nemine teste, vadum.
Insolitâ nox visa fuit clarescere nocte,
 Ilicèt indicium criminis illa dedit.
Continuò Piscator adest, missâque sagenâ,
 Quæritat occultas, quas tegit amnis, opes.
Quas simul inuitis traxit feliciter vndis,
 Testatur paribus gaudia festa sonis.
Sæpè fuit captura frequens, sed gurgite nullo
 Tàm bona præda vnquàm, quàm modò capta (fuit.
Qui priùs exiguos piscabar in æquore pisces,
 Piscatorem hominum me modò nemo neget.

I. IVLII.

S. GALLVS *Claromontanus Episc. suaui vocis modulatione diuinum Officium peragit.*

I.

Dùm Chorus aſſueto celebrat myſteria ritu,
Et canit alternis Cantica ſacra ſonis:
Antiſtes modulis miſcet modulamina: Nullo
Tàm benè qui cantet tempore, Gallus erit.

S. GALLVS *à peſte per vicinas regiones graſſante gregem ſuum liberat.*

II.

Finitimas contage lues graſſatur in oras,
Inque tuum ſerpit iàm prope, Galle, gregem.
At precibus, res mira! tuis lethale venenum
Siſtis, & vlteriùs ſerpere fata vetas.
Non hominis fuit vnius, digniſſime Præſul,
Non fuit vniùs Numinis illud opus.
Numinis eſt hominiſq; ſimul, cum Numine nullus
Te commune aliquod Numen habere neget.

I. IVLII.

S. SIMEON SALVS *ſanctè ſtultitiam ſimulat.*

I.

Dùm fatuum ſapienter agit, togulámque decoro
Incedit Simeon ſparſus, & ora luto;
Stultitià meritis ſe callidus inſerit aſtris,
Crede mihi, qui ſic deſipit, ille ſapit.

S. SIMEON

S. SIMEON SALVS *stultitiæ sapiens simulator.*

II.

Græcia quos genuit, quos mirabantur Athenæ,
Septenis vnus plus sapit iste Sophis.

S. SIMEON SALVS *Puellam energumenam sanat oblato à puellæ patre ad eius aram mellis fauo.*

III.

Vexabat teneros miserandæ Virginis artûs,
Qui malus obsessi corporis hospes erat.
Votiuas, examen, apes Apiarius vltrò,
Diue, aris donum dat pater esse tuis.
Nimirùm infelix genitor, de corpore natæ,
Vt fucos velles pellere, tradit apes.

II. IVLII.

VISITATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS.

I.

HOspes vbi notas accessit in hospitis ædes,
Diuinâ Virgo prole futura parens:
Mutua vix solitæ dederant sibi signa salutis,
Quæ paritura Deum est, quæ paritura virum;
Cùm puer arctati materna repagula claustri
Non tulit, & vetitâ tentat abire viâ.
Ter saliisse suam mirata puerpera prolem,
Ter gestire suum conscia sensit onus.
Cur nondùm genitus sine more tripudiat infans?
Cur ciet hos visâ Virgine Matre modos?
Coram arcâ (nam Virgo solet hac voce vocari)
Hebræi choreas Principis instar agit.

Ad D. ELISABETHAM.

II.

Poſtquam longa diu fleuiſti tempora, Mater,
Viſa inter ſteriles ſemper habenda Nurûs:
Tandem prole nouâ tumuit tibi fertilis aluus,
Magnam præ reliquis quam fore quiſq; putat.
Et meritò fore quiſque putat; quis iure repugnet?
Is magnus, cui Rex obuius ipſe venit.

Gemini Pueri cum geminis Matribus ſe quoque ſalutant.

III.

Dùm preſſos it in amplexûs par nobile Matrum,
Ibat vterque ſua cum Genitrice Puer.
Ibat in amplexûs, at vbi ſe carcere claudi
Senſit, & oppoſitos Matris obeſſe ſinûs;
Abſcedit, tacitéque ſuos teſtatus amores,
Ire, Maria, tuus ceſſat; Eliſa, tuus.
Plus aliquid Baptiſta mouet, dùm brachia circum
Se videt hoſpitibus non dare poſſe ſuis:
Exiliit, motúque agitat ſua membra loquaci;
Scilicèt oblatæ ſigna ſalutis erant.
Dicere cùm nequeat, linguâ vel voce ſalutem,
Iure fuit toto corpore dicta ſalus.

BAPTISTA *ab Adami labe exemptus naſcitur.*

IV.

Impatiens vteri leuibus Baptiſta choreis
Exilit, & motu gaudia teſte probat.
Nempè premunt reliquos genialis pondera noxæ;
Baptiſten ſimilis ſarcina nulla grauat.

Virgo post salutatam Elisabetham *in diuinas laudes erumpit.*

V.

Vix permensa viam, charósque ingressa penates,
In primo posuit limine Virgo pedem:
Et linguam, & vocem diuina in Cantica soluit:
Nam quî iam Verbo plena silere queat?

Exultauit Infans in vtero.

VI.

Cur pede subsultat venturi Anteambulo Regis,
Materníque agitat Pusio claustra sinûs?
Pertimuit tanto non posse præire Giganti,
Carpere festinum nî properaret iter.

II. IVLII.

SS. Processvs & Martinianvs *Ioui diuinum cultum exhibere iussi, in eius simulacrum inspuunt.*

I.

Fictilium raptatus adit delubra deorum,
Vt Superûm Regi Martyr vtérque litet:
At Iouis in faciem sputat feliciter audax;
Illis dignus erat sordibus ille locus.

III. IVLII.

S. Landfrancvs *Episc. Cantuariensis & Poëta insignis, dùm in Gallias tendit, ab hostibus interceptus vinculis oneratur.*

I.

TE, Landfrance, chori docilem solertis alumnû,
Nutriit in casto turba Nouena sinu:

Nec ſolito rigat ora cohors infantia lacte,
Sed tibi Caſtalias dat, vice lactis, aquas.
Ecquis enim, niſi mentis inops, à Virgine turbâ,
Sórbilis optaret munere lactis ali?
Ergo ſacer Phœbíque ſimul, Chriſtíque Sacerdos,
Doctus eras junctis nectere verba modis.
At dùm Francigenûm peregrinas tendis in oras,
Indita ſunt pedibus vincula dura tuis.
Sæpè quidem Muſas numeroſa in vincla vocaſti,
Non tamen hâc ideò compede dignus eras.

III. IVLII.

S. VDALRICVS *Epiſc. Auguſtanus, dùm ſacrum facit, manus è cælo delapſa cum ipſo operatur.*

I.

Nobile Parthenij decus, Vdalrice, pudoris,
Peiùs Acidalias angue peroſe faces:
Te caſtis operante ſacris, delapſa patenti
Dextra polo, dextræ jungitur apta tuæ.
Vos quibus eſt puras operari munus ad aras,
Et parere arcanum voce potente Deum:
Poſcendum eſt, veſtrã ſimilis quoq; dextera dextrã
Adjuuet, vt tantum ſuſtineatis onus.

IV. IVLII.

S. ELISABETHA *Luſitanorum Regina, cuius in pauperes munificentia inſigni miraculo eſt comprobata.*

I.

AVrea fert inopi Regina numiſmata turbæ,
Condit in arcano clàm tamen illa ſinu.
Nimirùm Chriſtus prohibet, ne conſcia norit,
Si benè quid peragat dextra, ſiniſtra manus.

Obuius est, Princépsque petit, quid veste recondat?
Illa refert, Vernas gesto, marite, rosas.
Dixerat, & versis in serta recentia nummis,
Exhibuit veras carbasus alba rosas.
Nulla pares vnquàm peperêre rosaria flores,
Nulla suo tellus fudit Ibera sinu.
Quàm tibi diuitiæ pulchros vertuntur in vsus!
Nam quæ aliis spinæ, sunt tibi, Diua, Rosæ.

V. IVLII.

S. VILHELMVS ABBAS *suas opes egenis haurit, nec tamen exhaurit.*

I.

AVrum supplicibus spargit Vilhelmus egenis,
Nullus enim vacuâ visus abire manu.
At quod supplicibus Vilhelmus sparserat aurum,
Lucro iterùm longè diuitiore redit.
Nam quæ ieiunis depleuerat horrea turbis,
Complet inexhaustâ messe parata seges.
Haud mirum est, omni cùm tempore semina iactes,
Omni si pariter tempore, Diue, metas.

VI. IVLII.

S. GOAR *adulterij falsò accersitus, ab infante cuius parens dicebatur absoluitur.*

I.

DAmnat adulterij Goarem temerarius Index,
Projectæque reum virginitatis agit.
Insontem absoluit causæ datus arbiter Infans,
Et patre, quem perhibent, se negat esse satum.
Quóque scelus pateat, quò sit manifestus adulter,
Indicibus signum voce, manúque dedit.

Infantem ſibi nemo licèt velit eſſe Patronum;
Infante hoc melior nemo patronus erat.

VI. IVLII.

S. GODELEVA *M. quo in loco ſupplicium eſt paſſa, humus egeſta roſas & gemmas peperit.*

I.

Quo moreris, Godeleua, loco, ſuffoſſa pudicas
Progenuit tellus ſanguinolenta roſas.
Nec ſatis eſt peperiſſe roſas, pretioſa, lapillos,
Munera, prouentu nobiliore parit.
Hos flores, has fundit humus tibi prouida gemmas,
Vt micet hîc capiti bina corona tuo.

VII. IVLII.

S. VILLIBALDVS *Eyſtetenſis Epiſc. abdicato Angliæ Regno, Hieroſolymam, pietatis causâ, contendit.*

I.

NOs patriæ obliti, nec honoræ laudis amantes,
Turpiter exilio turba moramur iners.
Nõn ita Vilbaldus, Regum pulcherrima proles,
Qui retrò innumeros penè recenſet auos.
Vix mundi illecebras, irritamenta malorum,
Regius agnouit mente ſagace puer;
Protinus exuto trabeæ regalis amictu,
Induitur laceræ vilia ſcruta togæ;
Armatúſque manum baculo, tenuique galero
Tectus, Idumeam cogitat hoſpes humum:
Et Solymas, vbi Chriſtus erat perpeſſus, ad oras,
Veſte peregrinâ diſſimulatus adit.
Chara ſoror, ſeniórque parens, fratérq; gemellus;
Eſſe piæ comites non renuêre viæ.

Sic benè posthabitâ paruis magalibus aulâ,
Et patriâ & patriæ finibus exul abit.
Regno exi, quicúnque ſapis, niſi ſpreueris vltrò,
Ipſa ſuum fallax Regia ſpernet herum.
Faſtidita fugit palatia Regius hæres,
Hæremus luteis nos, pigra turba, caſis.

VIII. IVLII.

S. PROCOPIVS *M. matrem ad Chriſtum adducit.*

I.

PRogenerant reliquæ terris ſua pignora matres:
Matrem aſtris peperit filius iſte ſuam.

VIII. IVLII.

S. LANDRADA *V. vt pudorem ſeruet in ſolitudinem ſecedit.*

I.

Seruatura tuí gemmam Landrada, pudoris,
Teſqua petis nullis peruia facta procis:
Hanc vigili ſtudio, vigili tutare labore,
Nulla tibi ſeruat Dactylotheca parem.
Nã quanquàm numeroſa manũ tibi gẽma coronet,
His ego tàm clarum non reor eſſe iubar.

Ad D. LANDRADAM.

II.

Abdita ſyluarum latebris, Landrada, recedis,
Puraque ſepoſiti gaudia ruris amas.
Cœtus adeſt ſuperûm, qui te comitetur, Amorum;
Et tuus eſt illo Præſide tutus honos.
Ne metuas pretioſa tui diſpendia floris,
Hos modò cuſtodes virginitatis habe.

IX. IVLII.

S. ANATOLIA *Virginitatem Martyrio exornat.*

I.

VIrgo pudoris amans, & honesti sedula custos;
Viuere vult lecto cælibe, vúltque mori;
Et geminum sociare decus; cum Virgine Martyr,
Et cum laurigerâ Martyre Virgo placet.
Sanguinis infecit niueos aspergine flores,
Et sociis iunxit lilia casta rosis.
Nam benè conueniunt (vtriúsque insignia fortis)
Lilia Virginibus, Martyribúsque rosæ.
Dat Martyr tibi, Christe, rosas, dat lilia Virgo:
Gratior est oculis nulla corolla tuis.

X. IVLII.

SEPTEM FRATRES MM. *filij* S. FELICITATIS *item* M.

I.

PLena animis, anníſq; parens stans ante tribunal
Carnificum, nullo palluit ora metu.
Stant Matrem intrepidi circum, sua pignora, Nati:
Clarior hâc certè nulla corona fuit.
Proh dolor! in proprias fœcunda Puerpera clades,
Hos peperit gladio, non sibi, facta parens:
Nam dilecta sibi laniari viscera sensit,
Septeno genitrix funere visa mori.
Fertiliora tamen cuperet connubia mater,
Pluribus vt Natis iret ad astra comes.
Et quotiès peperit, totiès enixa gemellos,
Parturiisse duplo pignora plura velit.

At quos illa tulit, fortes hortatur alumnos,
Ne quis Martyrij laude repulsus eat.
Et dixit, postquàm audentes in prælia vidit;
Degeneris turbæ non ego mater ero.
Occidit appendix præeuntibus vltima Natis,
Si potuit, totiès ante perempta, mori.

X. IVLII.

SS. RVFFINA & SECVNDA *sorores*, VV. & MM.

I.

Martyrij socians, Germana, accerse sororem,
Tu Ruffina ibis prima, Secunda soror.

XI. IVLII.

S. PIVS *Pontifex Maximus M.*

I.

BLandus adulator titulo pietatis honestat,
Quos facinus maculis inficit omne suis.
At te fama Pium celebrat, te nominat orbis,
Quem nullâ vitii labe litura notat.
Sic nomen pietatis erat certissimus index,
Et pietas index nominis ipsa fuit.

XI. IVLII.

S. GOLINDVCHA *M. in specum à Dracone insessum compingitur.*

I.

Solis inaccesso radiis includeris antro,
Obsidet insomni quod vigil ore Draco.
Iure, Puella, tuum seruat custodia limen,
Nam specus hæc raras occulit intùs opes.
Poma olim Hesperidum custos seruauerat anguis,
Quæque suo quondàm vellere fulsit, ouem.
Vt pretium est extra virtus, plùs diuite lanâ,
Plùs horto Hesperidum, possidet iste locus.

XII. IVLII.

S. IOANNES GVALBERTVS *Abbas, cui imago suffixi in Cruce Christi capite annuens gratias habet ob veniam inimico petenti non negatam.*

I.

IN gladium, cædémque ruit Gualbertus, at hostis
Territus amplexos procidit ante pedes.
Te per ego Christi, exclamat, per vulnera posco,
Parce, nec in nostro sanguine merge sitim.
Vt dulce insonuit nomen, Gualbertus ab irâ
Temperat, & posito liberat ense manum.
Ille sub hæc vicinum adiit de more sacellum,
Solennes solitus ferre tributa preces.
Ecce tibi! Domini de stipite pensilis Icon
Annuit, & motu verticis acta probat.
Scilicèt Archetypum verax imitatur imago,
Ipsaque, quod Christus fecit, imago facit.

S. GVALBERTVS *Religiosorum hominum Ordinem in Valle-Vmbrosa instituit.*

II.

Quo celebrem instituis pietatis, Diue, palæstram,
Hic locus Vmbrosæ nomina Vallis habet.
At licèt obscuro lateat tenebrosa recessu,
Illa tibi lucem Nominis vmbra dedit.

XIII. IVLII.

S. ANACLETVS *Pontifex Maximus M.* PETRI *Apostolorum Principis tumulum piè ac magnificè exornat.*

I.

ERigit immensas moles Anacletus, honore
 Vt sita sit Petri Principis vrna loco.
Vix Babylon par vidit opus, vix barbara Memphis
 Pyramidum moles viderat ante pares.
Quem famuli lambunt posito diademate Reges,
 Conditus hoc tumulo debuit esse cinis.

De eodem sepulchro.

II.

Pyramidum mole insanâ quid, Nile, superbis?
 Piscator tumulo nobiliore iacet.

XIII. IVLII.

S. IVSTINA *V. & M. à Fabiano Præside plagis & virgis afficitur.*

I.

Ne labem patiare tui, Iustina, pudoris,
 Heu! pateris validâ verbera torta manu.
Id leuius, multóque magis tolerabile vulnus,
 Quàm quod lethiferâ cuspide figit amor.
Vt reus est, vt amor puer est, & corpore nudus,
 Verbera quæ pateris, debuit ille pati.
Nimirùm ingenuam non hæc laniena puellam,
 Sed Veneris puerum talia flagra decent.

Iuſtina pro Chriſto moritura Zenoni Amaſio horti fœtûs promittit, & mortua mittit.

II.

Ore ſuburbanos quo nuper adiuerat hortos,
Hoc loca ſupplicij Virgo decenter adit:
Ridentíque Proco, floréſque, & poma petenti;
Pacta tulit, Nymphæ nomine, dona Puer.
Cœleſtis fuit ille Puer, quo pulchrior alter
Non erat ætherei miſſus ab arce poli.
Qualis purpureo ridet Tithonia vultu,
Qualis ab æquoreâ Lucifer exit aquâ;
Talis erat croceo puer ille decorus amictu,
Talis in ingenuo purpurat ore rubor.
Zenonem acceſſit propiùs, doníſque retectis,
Purpureæ limbum vellicat ille togæ.
Et dixit, Te Virgo ſuos inuitat ad hortos,
Vt præſente legas mala, roſáſque manu.
Audiit, & dictos quâ Nympha tetendit in hortos,
Hâc pariter viſus tendere Zeno viâ eſt.
Nam caput exertæ ſubdens, collúmque ſecuri,
Iuſtinæ voluit Martyris ire comes.
Ite pares animæ, paribúſque per æthera votis,
Carpite victrici munera verna manu.
Et date, pomorum ſuperis quæ carpitis hortis,
Nos ſapor, & florum nos quoque tangat odor.

XIV. IVLII.

S. BONAVENTVRA *primum D. Franciſci Aſſecla, dein Epiſc. Albanenſis & Cardinalis, morem quo ad æris campani pulſum ter Virginem ſalutamus, primus induxit.*

I.

TEr pulsâ, ter ſumit Aue Virgo aurea, nolâ;
Diue, tuæ ſolers id pietatis opus.

Virgineos hominum linguâ reticente triumphos ;
Ferrea in auxilium prouidus ora vocas.

D. BONAVENTVRAE, *cùm vomitu laboraret, admota Eucharistia stomachum penetrauit.*

II.

Hospitij Dominum dum morbus ab ædibus arcet,
Nec sinit optatos posse subire lares :
Ipse viam faciet, nisi factam inuenerit vltrò,
Nam Dominũ in propria quis vetet esse domo ?
Improba vis morbi ! quid inaniter ostia claudis ?
Legitimóque aditus quid prohibetur hero ?
Ille catenatos impunè effringere postes,
Quâque domum libuit parte, subire potest.
Et subiit, nam quando aditûs ægra ora recusant,
Per latus insolitam repperit ille viam.
O quicúnque vacas nostris quandóque libellis,
Temporis exiguas dùm finis ire moras,
Tàm cupidè tuus hospes erit, rupto obice, Christus,
Tu quoque si Christi tàm bonus hospes eris.

XIV. IVLII.

S. HENRICVS *Imperator in prosperâ fortunâ humilis, in coniugio castus.*

I.

Præcingunt, Henrice, tuam diademata frontem,
Et replet Augustam Regia virga manum.
At rerum dominas quamuis modereris habenas,
Non tamen insano vanus honore tumes.
Et quanquàm tibi pulcher Hymen cõnubia donet,
Viuis in intacto, caste Marite, toro.
Mirentur reliqui latè dominantis honores,
Téque triumphanti sceptra tenere manu :
Miror ego in mediis te non tumuisse triumphis,
Miror & in medio non caluisse foco.

XV. IVLII.

S. IACOBVS *Nisibenus Episc. Nebulonem fingentem se mortuum, verâ morte affecit, vitaque deinde reddidit.*

I.

Finxerat exanimum mendax se Ludio funus,
Et nudam immoto corpore pressat humum.
Quam simulat, veræ dignus succumbere morti;
Fingere mentitos destitit ille iocos:
Nam subitò vacuas mens ire iubetur in auras,
Et iacuit toto corpus inane solo.
At mox attonitâ surgit rediuiuus ab vrnâ,
Viuere, te,visus, téque volente mori.
Quidquid id est quod,Diue, velis, jã crede peractũ,
Imperio subsunt vitáque mórsque tuo.

Ad Morionem mortis simulatorem.

II.

Nil opus est simulare tibi, leuis Histrio, mortem,
Hoc age si mortem dissimulare potes.

S. IACOBVS *fontem exsiccat, & flauas procacium puellarum comas in canitiem vertit.*

III.

Hîc vbi muscarum pauefacta examine Persis,
Se dedit in trepidam, quà via facta, fugam;
Turba puellarum salientem fontis ad vndam
Ludebat, croceâ conspicienda comâ.
Nec prohibet veneranda senis præsentia Mystæ,
Quin peragat cœptos lingua petulca iocos,
Sed quos virgineâ non addecet aure probari,
Et quos virgineo non licet ore loqui.

Audiit, & iustam Præsul succensus in iram,
Digna verecundo Præsule vota facit.
Nam petiit refugæ cedant vt fontibus vndæ,
Et nix virgineas pingat vt alba comas.
Nec mora; cesserunt refugæ siphonibus vndæ,
Et nix virgineas inficit alba comas.
At lacrymis querulæ fontem reparare puellæ,
Et vetulas tentant, arte iuuante, niues.
Sed neque vel lacrymis primi rediêre liquores,
Nec rediit primus verticis arte color.
Quàm longus fuit ille dies, qui mane Puellas
Viderat, & sero vespere vidit Anûs!

XVI. IVLII.

S. ATHENOGENES *M. Ceruam quam alebat dimisit liberam, sed illa quotannis hinnulum quem pepererat, tanquam victimam, ad eius aram deferebat.*

I.

ALtor Athenogenes Ceruam nutriuit alumnam,
Quam dein in proprium iussit abire nemus.
Hæc dapis acceptæ memor, accep̄tíque diurni,
Signa animi grati non dubitanda dedit.
Nam partu Hinnuleum syluis enixa recenti,
Martyris ante aras, annua dona, tulit.
Ite homines, quos nulla solent benefacta mouere,
Hæc vos officij Cerua magistra docet.

XVI. IVLII.

S. ROSALIA *Sicula V. & M.*

I.

Trinacriam Ausoniæ qui dixerat horrea terræ,
Quantum esset Siculi nouerat vber agri.
Hæc modò virgineum dùm parturit area florem,
Terra mihi posthàc Sicelis, hortus erit.

S. ROSALIA *è Regibus Galliæ stirpem ducit.*

II.

Regibus è Gallis oriunda Rosalia stirpem
Traxerat, in Siculo nata puella solo.
Atque ita Francigenûm pulchro regalia nexu
Lilia, cum Siculis junxit amica rosis.

S. ROSALIA *in Ætnâ monte sepelitur.*

III.

Nemo suis jactet monumenta tegenda ruinis,
Quæque ferit summum Pyramis alta polum:
Et Mausolei moles operosa sepulchri,
Cedat in aërias crescere jussa vias.
His sibi nobilius sortita Rosalia bustum,
Conditur Ætnæo post sua fata iugo.
Nempè tegunt alios effossi fragmina montis,
Vel quæ sunt Pario saxa reuulsa solo:
At quæ virgo Rosâ deducit amabile nomen
Condenda est mediis, quas parit Enna, rosis.

XVII. IVLII.

S. VITALIANVS *Episc. Capuanus, cui dormienti vestes solitas inuidi auferunt, & muliebres sufficiunt.*

I.

DVm placidi Antistes fruitur lenimine somni,
Subtrahitur tacito suera lacerna dolo:
Inque locum stola sufficitur, tegiménque capilli,
Condere fœmineas nata calypha comas;
Nescius ille humeris alienum indutus amictum,
Fœmina fit subitò, qui modò Præsul erat.
Ponè peplum, longæque trahit sinuamina pallæ,
Et latam ignoto syrmate verrit humum.

Horruit, vt primùm se cultu agnouit in illo,
Séque virum, nè quis non putet esse, timet.
Diue, nihil metuas ne fœmina fortè puteris,
Nam tua facta virum te satis esse probant.

XVII. IVLII.

S. ALEXIVS *C. in paternâ domo hospes incognitus.*

I.

Ignotus patriâ dum viuit Alexis in aulâ,
Aduenaque in propriâ creditur esse domo;
Mœsta parens sobolem delamentatur ademptam,
Ingemit in viduo Sponsa relicta toro.
Heu! vbi, Sponse, lates? vbi te, mi Nate, requiram?
Ingeminant querulis Nupta, Paréntque sonis.
Quem quærunt, inuentus adest, tamē vtraq; plangit,
Orba suo Genitrix pignore, Sponsa Viro.
Luminibus captum quis jure negarit Amorem?
Quem videt, ex oculis mœret abesse suis.

Error Amoris in D. ALEXI.

II.

Per mare jactatum fingit sibi mater Alexim,
Aut per inaccessæ deuia tesqua plagæ.
Et pater, & conjux in Alexi nescit Alexim,
Absentémque oculis credit vtérque suis.
Hunc miseranda videt mater, conjúxque patérque
Veraque diffisam ludit imago fidem.
Ecquis in hæc oculos error ludibria mittit,
Nè cernendo putent cernere? Cæcus Amor.

D. ALEXIVS *sub gradibus paternæ domûs decubat.*

III.

Sub ſcalâ, gradibúſque domûs verſaris, Alexi,
Ignotus patrij qui laris hoſpes eras.
Si bene vaticinor, nec me deludit Apollo;
Hæc te ſcala, gradus hi ſuper aſtra ferent.

XVIII. IVLII.

S. SYMPHOROSA *M. ſeptem filiorum MM. parens, appenſo ad collum molari, in vndas deijcitur.*

I.

VT mediis immerſa vadis, ſeptena præires
Pignora, ſeptenâ prole beata parens;
Ceruicem appendix onerat tibi prægraue ſaxum,
(Torquis erat collo non ſatis apta tuo.)
Hoc præcelſa tamen vectaris in aſtra molari,
Nec moles in aquas mergit, ad alta leuat.
Ah! neſcis quid agas, tortor temerarie, neſcis:
Quod fore credebas pondus, id ala fuit.

XIX. IVLII.

SS. IVSTINA & RVFFINA VV. & MM. *fractum Veneris ſimulacrum in puluerem redigunt.*

I.

VIribus imbelles, Iuſta & Ruffina, puellæ,
Signa Dioneæ comminuêre Deæ.
Iudicio Paridis quæ Pallada vicerat vnam,
Nunc jacet à geminâ Pallade victa Venus.

XIX. IVLII.

S. ARSENIVS *ex aulâ in eremum secedit.*

I.

Vade, quiesce, tace, vox hæc tibi fertur ad aures:
  Vox iterùm repetit, vade, quiesce, tace.
Et paritur fugiendo quies, paritúrque tacendo;
  Quid trahis ergo pigras non fugiendo moras?
Audiit Arsenius tacitúmque recessit in antrum,
  Nil illâ expertus dulcius esse fugâ.
Nam sibi, non reliquis viuit pius hospes eremi,
  Viuere qui reliquis, non sibi, visus erat.
Quid casa despicitur, quid amantur limina Regum,
  Et quas incrustat bractea summa trabes?
Sæpè dedit siluestre pedum, quod sceptra negarunt,
  Sæpè dedit vilis caula, quod aula negat.

Nobilis quædam Matrona venit Româ, vt ARSENIVM *in suâ solitudine inuiseret.*

II.

Mille per anfractûs, per mille pericla viarum,
  Arsenij princeps Fœmina eremon adit.
Mouerat hanc pietas, & totum sparsa per orbem,
  Quæ magnum celebrat garrula fama Senem.
Sermones miscere pios inceptat vterque,
  Et trahere exiguas per bona verba moras.
At reditura, inquit mulier, dùm Numen adoras,
  Suppliciter memorem te precor esse mei.
Retulit Arsenius, (quod tu mirabere, Lector)
  Imò tui memorem non sinat esse Deus.

D. ARSENIVS *ad Aulicos.*

III.

Credite, jam multis si quid valet vsus ab annis,
Rura colit pietas, regnat in vrbe scelus.
Curia curarum mater, nutrixque dolorum,
Siue sit ille dolus, siue sit ille dolor.
Hùc subeunt artes, & plaustra ingentia fraudum,
Sola tamen pietas limine pulsa fugit.
Esse pius quicúnque volet, priùs exeat aulâ,
Cuncta ibi cùm liceant, non licet esse pium.

D. ARSENIVS *cruciatuum æternorum memor, vbertim lacrymatur.*

IV.

Diue senex, obiecta tuis Acherontis imago
Ex oculis pluuias jugiter haurit aquas.
Excipiunt humecta pios sudaria fletûs,
Nè bibulam feriat nobilis humor humum.
Pelle tuo, lacrymose Senex, è corde pauorem,
Non vno resident ignis & vnda loco.
Vt quid enim metuat flammarum incendia, fidas
Quicúmque in promptu tàm propè seruat aquas?

XX. IVLII.

S. MARGARETA *V. & M. è suppliciis pulchrior emergit.*

I.

MArgaris à rutilis nomen sortita lapillis,
Nobile Martyrij fulget adepta decus.
Splendet inhumani plagis attrita Tyranni,
Vt nitet aurificis bacca polita manu.
Vilescunt aliæ, sunt quotquot in æquore, gemmæ,
Gemmarum æquiparet si quis vtrúmque decus.

Nam reliquas Ganges mittit, vel mittit Hydaſpes,
At micat in rubro ſanguinis iſta mari.

S. MARGARETA *Cacodæmonem Draconis ſpecie ſibi inſidiantem debellat.*

II.

Margari, virgineæ pellucida gemma coronæ,
Fortis auernales perdomuiſſe minas;
Nam pede proſubigis Colubrũ, ſtygiumq; Ceraſten,
Tartareæ rursùm trudis in antra plagæ,
Quis modò laruato fugiat perterritus Orco,
Quem victum imbelli cernimus eſſe manu?

S. MARGARETA *ſtygium Draconem efficto Crucis ſigno fugat.*

III.

Diua, tuam tentat vanâ ſub imagine mentem
Fallere terribili lubricus ore Draco.
Sed Crucis oppoſito viſus vaneſcere ſigno,
Qui te tentabat ludere, luſus abit,
Cur poſitâ fugit Orcus iners ſub tartara laruâ?
Nempe Crucem timuit, qui cruce dignus erat.

S. MARGARETA *Orcum triumphat.*

IV.

Debellat ſtygiũ quæ Nympha minaciter Anguem,
Exuperat veterum fortia facta Ducum.
Nodoſæ Alcides ſileat miracula clauæ,
Præualet Herculeis viribus iſta manus,
Cerberus Alcidæ ceſſit, Dis ipſe puellæ,
Plus canis eſt dominum, quàm domuiſſe canem.

XX. IVLII.

S. VVILGEFORTIS *V. barbæ repentè enaſcentis miraculo caſtitatem tuetur.*

I.

Virgineo metuens formoſa puella pudori,
(Nam nitet eximio pulcher in ore decor:)
Quotquot in empyreo Superos agnorat Olympo,
His rogat, aut paribus ſupplice voce ſonis:
O Superi, quibus eſt curæ virtutis honeſtas,
Quóſque pius tangit Virginitatis amor:
Vos precor, vt noſtro ſpecies abſcedat ab ore,
Quæ ſolet infeſtos ſollicitare procos.
Non ego deformes vetulæ cutis abnuo rugas,
Nec quæ gibboſo tubere terga tument.
Nullum ego, Cælicolæ, quodcúmq; eſt, reſpuo monſtrum,
Dùm meus egregio cedat ab ore nitor.
Audiuere preces Superi, námque inſita mento
Hirſutis cœpit creſcere barba pilis.
Spectantûm inſolitus præcordia perculit horror,
Séque fugit comitem jungere virgo comes,
Abdicat & mater ſobolem, ſoror ipſa ſororem,
Nec proprio nota eſt hiſpida Nata patri.
At Virgo lætatur ouans, dùm turba procorum
Excidit, optatis non fruitura ſuis.
Námque viro vt propior facta eſt barbata Virago,
Cœpit ab impuro tutior eſſe viro.

XXI. IVLII.

S. VICTOR *M. multarum palmarum Athleta.*

I.

VIctor, qui nomen factis ingentibus imples,
Quíque coronandum tollis ad astra caput:
Cinge triumphales lauru victrice capillos,
Sit nisi Victoris laurea; cujus erit?

S. VICTOR *iussus diuinos honores exhibere Ioui, eius statuam manu diruit.*

II.

Signa Iouis dextrâ audaci procul impulit Heros,
Nec timet extentâ quæ gerit arma manu.
Quin etiam flammas, trucis instrumenta furoris,
Quæque Iouis gestat fulmina, fregit auem.
Vincere terrigenæ quem non potuere Gigantes,
Vnius vincit Militis vna manus.

S. VICTOR *statuam Iouis deiectam pede proculcat, qui à tortore amputatur.*

III.

Procidui simulacra Iouis pede proterit Heros,
Et victo exultat numine Victor ouans.
Nè tamen id facinus pulchrâ mercede careret,
Amputat intrepidum carnificina pedem.
Terrarum Dominum pressit qui vindice plantâ,
Sydera debuerant hoc pede sola premi.

Ad S. VICTOREM *Iouis statuam pede conculcantem.*

IV.

Et brutos sonitûs, & inania fulmina sperne;
Qui tonat, en pedibus subditur ille tuis.

Pes tantùm æthereis insistere debuit astris,
Qui fragilem pressit vindice calce Iouem.

XXI. IVLII.

S. DANIEL *Propheta lasciuos Senes mendacij conuincit.*

I.

Bis gemini, Susanna, Senes socialia jurant
Iura maritalis te violasse tori.
Præmatura tamen pueri solertia, vanos
Insimulare probat non nisi vana Senes.
Non solis, mihi crede, subest sapientia canis,
En Senibus geminis plus sapit iste Puer.

De Senibus Susannæ pudicitiam attentantibus.

I.

Sæpè gerant canos licèt albo vertice crines,
Mente solent canâ non tamen esse Senes.
Nam quanquàm albescat niuium sub vellere vertex,
Condita sub niuibus flamma subindè latet.
Nullus ab insidiis tutum se speret Amoris,
Seu juuenis, seu vir, siue sit ille senex.
Quamlibèt exsuccis vetus ætas areat annis,
Arida materies ocyùs igne calet.

XXII. IVLII.

S. PLATO *M. in ignem innocuum conijcitur, ex quo suauissimus odor afflatur.*

I.

ERrat amabiliter roseos vaga flamma per artûs,
Ludere, nec corpus lædere visa fuit.
Quin etiã flammâ absumptus dùm creditur Heros,
Non nidor, sed iit corpore mirus odor.

Esset

Esset odorato reputatus in aggere Phœnix,
In cineres versus si priùs igne foret.

De suaui odore è corpore D. PLATONIS *in medijs flammis diffuso.*

II.

Cernite præteritis portenta incognita sæclis,
Fragrat, & in medio non flagrat igne Pugil.

XXII. IVLII.

S. MAGDALENA *Pœnitens. Stetit retrò secus pedes eius.* Luc. 7.

I.

CVR tacito tua ponè subit vestigia motu,
Nec stetit ante oculos Magdala, Christe, tuos?
Quæ priùs insidiis homines versuta fefellit,
Nonne tibi insidias hâc quoque parte parat?
Insidias tibi, Christe, parat, tibi retia tendit,
Quæ priùs est placitis tendere visa procis.
Dúmque piè fallax te verticis implicat auro,
Præda volens prædæ factus es ipse tuæ.

D. MAGDALENA *in conuiuio resipiscens.*

II.

Vina inter, lautásque dapes, vbi more recepto
Desipiunt reliqui sæpiùs, ista sapit.

D. MAGDALENAE & ABSALONIS *comparatio.*

III.

Quàm benè Dauidis puerum per Magdala reddit!
Quàm benè Magdaliden exprimit ille puer!

Concolor hic niueis, est concolor ista columbis,
Ille nitet roseis, & nitet ista genis,
Molliter aureolos alit alter & altera crines;
Degener ille patrem læserat, ista Deum.
Implicat effuso per eburnea colla capillo,
Arboris hic ramos, Numinis ista pedes.
At quanquàm sint ambo pares, tamen exitus illos,
Principiis paribus non sinit esse pares.
Nimirùm vnius mors perfida crine triumphat,
At sacer alterius crine triumphat amor.

Ad D. MAGDALENAM.

Alluditur ad vulgarem Paremiam; Sine Cerere & Baccho Venus friget.

IV.

Et Bacchi & Cereris fuerat Cytheræa sodalis,
Esse sibi comites non tamen vsque finis.
Ecce epulis exclusa Venus procùl acta recessit;
Ardet vbi reliquis, hîc tibi friget amor.

De D. MAGDALENA *in Galliam nauigante.*

V.

Vidit vt vndarum domitricem Gallia puppim,
Quâ super indomitas Magdala fertur aquas;
Protinùs emissam vitreis Nereida regnis,
Credidit immenso velificare freto.
Ecquis enim rate tàm fragili, nisi Numen aquarum,
Temneret æquoreas, quas ciet vnda, minas?
Quin potiùs dicenda Dryas, nam more Dianæ
Incolit vmbriferum jam noua Nympha nemus.

D. MAGDALENA *ſaxo incubat.*

VI.

Molliculis tibi nulla tumet modò culcitra pennis,
Sed ſaxo imponis ſemi-ſupina caput.
Vidit Amor, puerique parens id vidit Amoris,
Et duro vnanimes indoluêre toro.
Si patiare, ſuas Ales tibi vellicet alas,
Ceruical capiti commodet ille tuo.
Sed renuis, puerúmque abigis, puerique parentem,
Nec tibi vis rigidum molliat ille torum!
Debuerant geminæ velli radicitùs alæ,
Mollis vt exciperet penna recline latus.
Quàm benè conſultum miſeris Mortalibus eſſet,
Poſtmodò deplumis ſi foret ille puer.

DD. PETRVS & MAGDALENA *lacrymantes in eâdem tabellâ depicti.*

VII.

Pectus inexpletis Petrus ſibi fletibus vndat,
Pectus inexpletis Magdalis vndat aquis.
Tu quiſquis ſpectator ades, qui flumina cernis
Currere ſulcatis trita per ora genis:
Cauſas, inquis, habet cur ſic lacrymetur vterque,
Tu quoque, tu verum ſi fatearis, habes.

XXIII. IVLII.

S. BRIGITTA *V. adhuc ſeptennis à Deiparâ telam texere docetur.*

I.

VIX tibi tranſierant ſeptem, Brigitta, Decẽbres,
Texitur indocili cùm tibi tela manu.

At visa est sociare tibi, Tyruncula, dextram,
  Incumbens operi Virgo Magistra tuo.
Dúmque rudi depingis acu ver sutile florum,
  Hos quoque subtili Virgo figurat acu,
Vicinæ accurrunt, texti nouitate, puellæ,
  Se vinci à tenerâ Virgine fassa cohors.
Iure præit reliquas hâc nobilis arte puellas,
  Quæ fuit à tali Pallade docta manus.

S, BRIGITTA *cibis amarulentis vescitur.*

II.

Diua, tuo sit amara licèt, sapit esca palato,
  Nimirùm hanc opifex nectare condit Amor.
At modò delicias Superûm genialiter hauris,
  Æthereos inter Virgo recepta choros.
Non meruit dulci Ambrosiâ super astra beari,
  Quisquis amara suis non bibit ante labris.
Nec nisi quos nostris spinæ pupugêre rubetis,
  Carpere sydereas non meruêre rosas.

XXIV. IVLII.

S. CHRISTINA *V. & M. Christianæ doctrinæ rudimenta ab Angelo tutelari edocetur.*

I.

MOre alias solito matres docuêre puellas,
  Tu cœli Aligerum, quo docearis, habes.
Sperne nouem docuit quas priscus Apollo Sorores,
  Te nouus, at veteri major Apollo docet.

S. CHRISTINA *à parente turri includitur inter aurea deorum simulacra, quæ pauperibus elargitur.*

I.

Te, Christina, parens turri conclusit ahenâ,
Hîc vbi sunt fragiles, aurea signa, Ioues.
Tu Iouis, & leuium frangis simulacra Deorum,
Inque inopes spargis ditia frusta sinûs.
Oppositum Danae, Virgo, sortiris honorem,
Præda tua est factus Iuppiter, illa Iouis.

S. CHRISTINA *ex igne & aqua incolumis euadit.*

III.

Et flammis Christina simul torquetur, & vndis,
Pœna mares animos non satis vna probat.
Nil saluæ tamen ambo nocent tormenta puellæ,
Imò iuuant, quamuis tortor obesse velit.
Purior è flammis, & purior exit ab vndis,
Scilicèt hanc ignis purgat,& vnda lauat.

D. CHRISTINA *perstat in flammis illæsa.*

IV.

Per medias impunè salis, Christina,fauillas,
Tuta per edomitos vt Salamandra focos.
Indicibus dubium spectatur vt ignibus aurum,
Hoc tua spectari debuit igne fides.

XXV. IVLII.

S. IACOBVS *Apostolus dictus* Boanerges, *pro Christianis pugnare visus.*

I.

COnspicitur medio cataphractus in aëre ductor,
Qui dedit in trepidam barbara castra fugam.
Tàm citò tàm validæ cur terga dedere phalanges?
Nimirùm tonitru filius ista patrat.

S. IACOBVS *ab Herode conscientiæ stimulis agitato occiditur.*

II.

Occidat, Herodes clamat, nostro occidat ense.
Dixerat, & iussâ morte Iacobus obit.
Filius est Tonitru, jure hunc necat ense Tyrannus,
Post Tonitru, Fulmen conscius ille pauet.

XXV. IVLII.

S. APOLLINARIS *Episc. Rauennas M. silentium indixit Serapidis oraculo, vsum linguæ Bonifacio viro Nobili restituit.*

I.

Abnegat antiquas sortes reserare Serapis,
Exilio Præsul nî procùl actus eat.
At qui perdiderat, vocis dein repperit vsum,
Fudit vbi validas Præsul ad astra preces.
E muto facundum hominem qui reddidit, idem
Mutum è facundo reddidit ille deum.

S. APOLLINARIS *ignes illæsus calcat.*

II.

Per medios sine fraude rogos exultat eundo,
Cui clarus clarum nomen Apollo dedit.
His graditur super astra viis, illustrius illo
Ad Superos nemo carpere possit iter.

XXV. IVLII.

S. CHRISTOPHORVS, *qui Christum sub Pueri specie trans flumen vexisse dicitur.*

I.

Aspicis Heroem truncâ nixum arbore, cuius
Vix tetigit summos fluminis vnda pedes:
Sustinet hunc humeris, totum qui sustinet orbem,
Quíque suâ terras librat, & astra manu.
Hunc ego pinxissem Christúmq; orbémq; ferentẽ,
Sed breuior tantum charta refugit onus.

Ad D. CHRISTOPHORVM *Atlante ipso validiorem.*

II.

Subcollante humero Christum gestare volentem,
Atque illum qui fert omnia, ferre potes.
Diue, mihi posthàc Atlante videbere major,
Nempè poli Dominum subuehis, ille polum.

S. CHRISTOPHORVS CHRISTI *Baiulus.*

III.

Transuehitur fluuium Pueri sub imagine Christus,
Diue, sedens humeris sarcina grata tuis.
Non oneri, sed erat potiùs tibi pondus honori,
Non honor hic onerat te, sed honorat onus.

Ad D. CHRISTOPHORVM *ſuo onere ſecurum.*

IV.

Vade age, ne metuas tanto ſub pondere fluctûs;
Nempè vel in portu tutior eſſe nequis.
Sarcina ſæpe alios rapidas demerſit in vndas,
Fluctibus in mediis iſta leuamen erit.

Ad eundem.

V.

Vecturæ pretium non eſt quod inutile poſcas,
Grande tibi naulum Puſio paruus erat.

S. CHRISTOPHORVS *capite minuitur.*

VI.

Colla dedit Martyr duræ reſecanda ſecuri,
Dùm videt anguſtas ætheris eſſe foris:
Tantus in oſtiolum Capito ſubiturus olympi,
Vertice depoſito debuit eſſe minor.

XXV. IVNII.

S. VALENTINA *V. & M. deorum ſimulacra calcibus deijcit.*

I.

Numina ſacrilegas populus veneratus ad aras,
Incenſis adolet thurea dona focis.
Auerſata nefas, ritúſque exoſa profanos,
Diruis exploſos vindice calce deos.
Ludis, Virgo, operam, fractas faber eriget aras;
Si velit, & Numen quælibet arbor erit.
Gens hominum felix, quorum carioſa refingit,
Numina, fabrili mota dolabra manu!
Crediderам(& verum eſt)homines à Numine fingi;
Fortunata ſuos Gens facit iſta deos.

XXVI. IVLII.

S. SYMPHORIANVS *M. simulacrum Martis suo aspectu liquefacit.*

I.

QVàm tibi, nulli vnquàm continget adorea major,
Quàm tua, nullius laurea major erit.
Marte Duces alij retulere trophæa secundo;
Tu Marte aduerso, Symphoriane, refers.

XXVI. IVLII.

S. SIMEON *C. Padum pedes traijcit.*

I.

Stabat arenosæ Simeon in margine ripæ,
Dudùm actâ cupiens vlteriore frui:
Nec pons vllus erat, nec quæ sine remigis vsu,
Publica trajecto fune carina vehat.
Ergò triumphatis audax se credidit vndis,
Certus in incertas ire viator aquas.
Mobilis Eridanus plantis se subdidit vltrò,
Cæruleæque gradum sustinuêre viæ.
Dúnque pias Vector premit immersabilis vndas,
Non tetigit summos spuma modesta pedes.
Nulla premunt animum grauioris pondera noxæ,
Cuius erat liquidis tam leue corpus aquis.

XXVI. IVLII.

S. ANNA *magnæ Virginis Mater.*

I.

De te alij quæcúnque velint miracula narrent;
Tu mihi Matris eris Virginis, Anna, Parens.
Qui tacet hoc vnum de te, tacet omnia; de te
Id quicúnque vnum dixerit, id sat erit.

MARIA ANNAE *Matris vnica filia.*

II.

Vna eſt, ſed numeri damnum Virguncula penſat,
Quæ fuit è ſterili progenerata ſinu.
Tantùm alias ſuperat Ieſſeïa Nympha puellas,
Quantùm aliis præſtat matribus Anna Parens.
Cur tamen hæc ſoboles longos differtur in annos?
Non erat exigui temporis illud opus.

XXVII. IVLII.

S. PANTALEON *M. Medicinæ arte præſtitit, deorum ſimulacra diruit.*

I.

PAntaleon vt erat Medicâ memorabilis arte,
Cultor & vnius Numinis acer erat;
Morborum fugat examen, febriúmque cohortes,
Et ruit intrepidâ fana, deóſque manu.
Exitium ſuperis & opem mortalibus affert,
Quique homines ſanat, vulnerat ille deos.

S. PANTALEON *puerum à Viperâ interemptum vitæ reddidit, viperam morte affecit.*

II.

Dùm puer herboſis innoxius errat in aruis,
Auſa eſt indignum Vipera dira nefas:
Námque venenato fundens nigra toxica morſu,
Lethifero tenerum ſauciat ore pedem.
Langueſcit puer emoriens, vt marcida languet,
Dùm roſa formoſæ carpitur vngue manûs.
Pantaleon mortémque feræ, Pueróque ſalutem
Attulit: hic iuſſus viuere, & illa mori eſt.
Iuſtus vtríque dedit pretium, quo dignus vtérque;
Et puer & pueri morte Colubra nocens.

Redditus est vitæ puer, est data vipera morti,
Ille fuit vitâ dignus, & ista nece.

XXVII. IVLII.

SEPTEM DORMIENTES FRATRES MM. *qui sæuiente in Christianos Decio, cùm intra specum se abdidissent, duo sæcula & ampliùs dormierunt, posteà pro Christo necati sunt.*

I.

Dulciùs obscuro, Pugiles, dormistis in antro,
Quàm vel in Attalico qui jacuêre toro.
Vos tandem Frater prædam dedit esse Sorori,
Nam sopor est frater, mórsque gemella soror.
Antra priùs dederant longum requiescere tempus,
Non requiem vobis antra, sed astra dabunt.

XXVIII. IVLII.

SS. NAZARIVS & CELSVS *eius discipulus MM.*

I.

PRæficitur tibi Nazarius, monitórque salutis,
Celse, piâ mores instruit arte tuos.
Æmulus insequeris morientis amabile fatum;
Nam prior indignam pertulit ille necem.
Quis nouus hic Doctor? relíqui, præeunte Magistro,
Discipuli discunt viuere, at iste mori.

SS. NAZARIVS & CELSVS *post tolerata aquarum supplicia, securi feriuntur.*

II.

Experti rabiémque maris, terræque furores,
Quidquid & insani Cæsaris ira parit;

Nazarius, Celsúſque pares moriuntur vtérque;
Iſte necis comitem ſe dedit, ille ducem.
His duro caput enſe cadit, quibus vnda pepercit,
Nimirùm ferro mollior vnda fuit.
Par tamen eſt in vtróq; decus, nam Martyras enſis
Monſtrat, & expertes criminis vnda probat.

SS. NAZARIVS & CELSVS *capite orbantur.*

III.

Morte pari cecidere duo, calybíſque ſub ictu
Vnanimes ſectum depoſuêre caput.
Cauſa latet, cur Nazario caput auferat enſis,
Cur Celſo collum demetat, illa patet.
Celſus erat, valuáſque humiles radiantis olympi
Vt ſubeat, capitis debuit eſſe minor.
Non tamen vtiliter caret alto vertice Martyr,
Námque vel exciſo vertice Celſus erit.

XXIX. IVLII.

S. HOLAVS *M. Rex Noruegiæ, Ariolos & Incantatores, vel regno abigit, vel flammis punit.*

I.

EXigit Aſtrologos, gentem Rex fallere doctam,
Aut merito pœnas cogit in igne pati.
Vaniloquâ ſolitus fumos qui vendere linguâ,
Et fumo plecti dignus, & igne fuit.

XXIX. IVLII.

S. LVPVS *Trecenſis Epiſcopus.*

I.

Tam benè ſollicitus qui curat ouilia Paſtor,
Dicite, cur vobis dicitur ille Lupus?

XXIX. IVLII.

S. MARTHA V. CHRISTI *hoſpita.*

I.

Martha, Deus propriis cui factus in ædibus hoſpes,
Degere dùm noſtro viſus in orbe fuit :
Ignibus extremis cùm deflagrauerit orbis,
Hos tibi, vel nulli proferet ille ſonos.
Eſurienti eſcam, ſitienti vina parabas,
Dúmque domûs egui tegmine, tecta dabas :
Tu mea, nè paribus meritis par gratia deſit,
Hoſpes eris poſthàc, quæ priùs hoſpes eras.

XXX. IVLII.

SS. ABDON & SENNEN *M M. nobiles Perſidis Principes pro Chriſto vinculis onerantur.*

I.

VOs priùs Eois ſtrinxêre monilia gemmis,
Quos modò vinclorũ põdera dura grauant.
Eſt tamen hoc ferrum primo pretioſius auro,
Et manicæ radio ſplendidiore micant.
Sæpè trahit ſtygias auri graue pondus ad vndas,
At leue vos ferri pondus ad aſtra vehet.

SS. ABDON & SENNEN *priùs auro, mox ferro onuſti.*

II.

Vos onerat ferrum, quos antè ornauerat aurum,
Aurum debuerant ferrea ſæcla ſequi.

XXX. IVLII.

S. IGNATIVS DE LOIOLA *C. Societatis Iesu Fundator, in bello salubriter vulneratur.*

I.

ARmigeri graue Martis opus Loiola parabat,
Castraque militiæ sanguinolenta sequi.
At pius inquit Amor; Satis est, Mauortis agones
Deserat, & castris militet ille meis.
Nec mora; vulgari prætentat arundine pectus
Figere, quam pharetrâ traxerat ante suâ.
Sed cor tàm leuibus stat inexpugnabile telis,
De tanto non est obuia palma viro.
Ergo nouis molitus Amor cor vincere telis,
Tormenta ingenti bellica mole parat:
Ferreaque indomitũ dùm fulmina torquet in hostẽ,
Crura salutifero contudit icta globo.
Procubuit, cessítque volens, & Amoris adorat
Victoris posito Numina magna genu.
Nequicquàm imprudens animi, Loiola, rebellas,
Cedendum est volucer dùm mouet arma Deus.
Nempè peritus amor, vel Marte, vel vtitur arte,
Marte capit, si quis non velit arte capi.

Ad D. IGNATIVM *saucium.*

II.

Vulnera militibus tollunt accepta salutem;
Tu contrà accepto vulnere sospes abis.

Venetiis & aliis in locis Ignatij sanctitas variis ostentis proditur.

III.

Schemate sub vili tegeris, Loiola, tuúmque
Supprimis occultâ nobilitate genus.

Vſque licèt lateas, cælo tamen indice prodis,
Lux quanquàm in tenebris,non tamē vlla latet.
Si taceant homines, tua te miracula prodent,
Nec plaga terrarum non erit vlla loquax.

S. IGNATIVS *in mari tempeſtate iactatur.*

IV.

Complexus gremio, votíſque capacibus orbem,
Loiola, inſcensâ Nerea puppe ſecat.
Sed grauis inſolitâ ſub mole carina fatiſcit,
Iámque procelloſas cymba receptat aquas.
Ah! ceſſa trepidare miſer, ſi mergitur Alnus,
Plura Deum, quàm te, Nauita, damna manent.

S. IGNATIVS *Iuuenem ab impuro amore, nouâ arte retrahit.*

V.

Fortè cupidinei perculſus arundine teli
Ibat, quò turpis flamma trahebat, amans.
Pons erat euoluens glaciatas frigore lymphas,
Quà Procus, vt Veneri ſeruiat, ire ſolet.
At pius indignos damnans Ignatius ignes,
Hybernis collo ſe tenus abdit aquis:
Et Iuuenē aggreditur lymphis immerſus amantē,
Oſtentans medio pallidus ora lacu;
I miſer, in Paphiis totus cinereſce fauillis,
Hoc ego dùm flammas frigore plecto tuas:
Obſtupuit Iuuenis, greſſúmque repentè repreſſit,
Et propè frigidior, quàm foret vnda, fuit.
Ceſſit amor Veneris, ſacra fax ſucceſſit Amoris,
Et juuenile nouo pectus ab igne calet.
O quid agat ſumptis Ignatius acer in armis!
Dùm fugat infamem Cyprida, nudus erat.

S. IGNATIVS *Montis Oliueti culmen bis conſcendit.*

VI.

Eoas obiens Ignatius aduena terras,
Cur bis oliuiferi culmina montis adit?
Non vidiſſe ſemel ſatis eſt, ſed rursùs amatam,
Et rursùs felix hoſpes adorat humum.
Impreſſit geminas ſignato in marmore plantas,
Dùm volat è ſummo Chriſtus ad aſtra iugo.
Hæc totiès Loiola redux veſtigia viſit,
Nè pede tritam alio quæreret ille viam.

S. IGNATIVS *Lutetiæ Pariſiorum prima iacit Societatis* IESV *fundamenta.*

VII.

Hìc vbi Sequanicæ lambunt Regalia lymphæ
Mœnia, finitimis imperioſa locis:
Gens Ignatiadum felicibus edita cunis,
Cœpit in hoc nuper creſcere nata ſolo.
Nìl poterat meliùs, tanti nam gignere Regni
Debuerat talem Pallada tale caput.

S. IGNATIVS *nocturno ſyderum aſpectu recreatur.*

VIII.

Dùm nox cæruleo ſtellata ſuperbit amictu,
Crebraque ſydereâ deuehit aſtra togâ:
Flammarúmque minor populus, magníq; Planetæ,
Percurrunt liquidi feſta theatra poli:
Quid totiès oculis ſpectas lacrymantibus axem?
Quid pleno illecebras ætheris ore bibis?
Exangues ſecreta coquit tibi flamma medullas,
Vt roſa, quæ nimiis ſolibus vſta riget.

Dúmque per assiduos oculorum liqueris imbres,
Vix superant siccis pellis & ossa fibris.
Impatiens jàm lumen hebet; jam ferre recusat
Æthereum, pleno dùm micat axe, iubar.
Claude oculos astrorum oculis, ne fortè perennem
Noctem oculis pariat nox oculata tuis.

In hæc verba à D. IGNATIO *prolata*;
Quàm sordet tellus dùm cælum aspicio!

IX.

Dùm rutilum lacrymis labentibus æthera spectas;
Pura tibi rident sydera, sordet humus.
Non miror, si sordet humus, si sydera rident,
Terra lutum lacrymis fit madefacta tuis.

IGNATIVS DE LOIOLA,
Anagramma;
IGNIS A DEO ILLATVS.

X.

Ignati (neque enim quenquam tua nomina fallunt)
Illatus nobis cælitùs ignis eras.
Ignis eras, reliquis sed purior ignibus ignis;
Nullus enim tali fumus ab igne venit.
Ignis eras, gelidis nam frigora mentibus arces,
Et flammas animis inseris, ignis eras.
Extinctus placidâ tandèm sub morte quiescis,
Inque leuem cinerem desinis, Ignis eras.

Non vocatis ad se Sociis piè moritur.

XI.

Cùr Loiola silens vinclis è corporis exit?
Dùm fugit effracto carcere, quisque silet.

Ad D. IGNATIVM *puerperiis propitium.*

XII.

Diue, laborantes partu miserate puellas,
Dùm Lucina suam ferre recusat opem;
Non pateris fœtûs vtero retinente morari,
Æquius est multò ne patiare mori.

Ad D. IGNATIVM *nocturnas Striges è Collegio Lauretano fugantem.*

XIII.

Diue, cohors Lemurum pauefactas territat ædes,
Nec requies Sociis traditur vlla tuis;
Percutis horrificum validi vi fulminis hostem,
Laureto tectus quamlibèt ille foret.

XXXI. IVLII.

S. GERMANVS *Altissiodorensis Episcopus, iniecto oleo maris tempestatem sedat.*

I.

Neptuni rabies jacto placatur oliuo,
Nec positis audet surgere pontus aquis.
Quæ prius inuictis tantùm præsederat armis,
An maris in fluctûs ius quoque Pallas habet?

S. GERMANVS *Rauennam petit nocte concubiâ, vitandi populorum concursûs causâ, qui tamen accensis facibus obuiàm prodeunt.*

II.

Nequicquàm obscurâ vis tendere nocte Rauennã,
Dùm plausûs resonæ plebis, & ora fugis.
Nam tot inextinctis rutilat funalibus aër,
Luceat vt mediâ nocte serena dies.



MENSIS·AVGVSTVS.

PRIMA AVGVSTI.

Festum S. PETRI *ad vincula.*
Ad Herodem.

I.

QVid vectes, validæq, iuuant munimina portæ?
Quid centumgeminis ostia juncta seris?
Cui cœlos, erebúmque datur reserare potestas,
Carceris hunc dubitas pandere posse fores?

Erat PETRVS *dormiens inter duos milites, vinctus duabus catenis.* Act. 12.

II.

Liber in ostrinâ vigilat lodice Tyrannus;
Captiuus dominâ dormit in arce Petrus.
Postmodò somniferæ si vis dare membra quieti,
Induat arcta tuos, Petre, catena pedes.
Tu vigiles vt longa trahas per tædia noctes,
Molliter attalicum sterne, Tyranne, torum.

Tibi dabo claues regni cœlorum. Matth. 16.

III.

Quem dedit esse sui Pastorem Christus ouilis,
Compede nequicquàm, Tortor inepte, grauas.
Cui data soluendi, cui sunt data jura ligandi,
Nemo ligare Petrum, soluere nemo potest.

D. PETRVS *è carcere liber.*

IV.

Exiit incolumis reſerato carcere Petrus ;
A Domino claues ſumpſerat ante ſuo.

I. AVGVSTI.

Septem Fratres MACHABAEI *MM.*

I.

Occidit vnius ſoboles ſeptena parentis ;
Quam peperit gladio, non ſibi, clara parens.
Hos ſeptem Heroas, ſeptem velut æthra Planetas,
Non impar, numero compare, terra colit.
At minùs æthra ſuis fulget, quàm terra Planetis,
Hæc ſiquidem fixos poſſidet, illa vagos.

I. AVGVSTI.

SS. FIDES, SPES, CHARITAS *VV. & MM.*
S. SOPHIAE *filiæ.*

I.

Tres Sophia ex vtero peperit fœcunda puellas,
Hæc Spes, illa Fides, tertia dicta Charis.
Si decuit Sophiam fieri de virgine matrem,
Certè huius ſobolis debuit eſſe parens.

Tergeminus S. SOPHIAE *partus.*

II.

Tergeminæ Sophiâ naſcuntur matre Puellæ;
Virtutum terno nomine dicta trias.
Si tot virtutes pariat, quot pignora, partu
Soluere debuerat fertiliore ſinus.
Antè vtero triplicem peperit Sapientia prolem ;
More Iouis, cerebro nunc parit illa ſuo.

II. AVGVSTI.

S. STEPHANVS *Pontifex Maximus M. Nemesij Tribuni filiam à cæcitate liberat, ac Lucillam vocat.*

I.

ERrat inops lucis, baculóque innixa regente,
Cespitat in patriâ cæca puella domo.
Sacrorum id Præses vidit, iussítque coruscam
Protinùs expulsâ nocte redire diem.
Lucillam te, Virgo, vocat jàm luce receptâ,
Nomina non poterant aptiùs vlla dari.

II. AVGVSTI.

S. THEODOTE *Martyr cum duobus filiis item Martyribus.*

I.

Hæc ego non terris peperi, sed pignora cælis,
Dicebat geminâ prole beata parens.
Præ, Pueri, vos ite mei, matríque rubentem
Sternite, conscendat quâ super astra, viam.
O ego fertilium fortunatissima matrum,
Quas tulit, aut vnquàm quas feret vlla dies;
Antè ego quàm moriar, gemino si funere detur
Fortiter in geminâ bis mihi prole mori!
Dixit, & accensas subiens cum prole fauillas,
Extremum medio clausit in igne diem.
Thariades hâc matre minùs decerpit honoris,
Vnum Thariades immolat, ista duos.

III. AVGVSTI.

Inuentio S. STEPHANI *Proto-Martyris.*

I.

IAm longo celata situ, meliore fategit
  Componi tumulo Martyris ossa Deus.
Quorum animæ super astra æuo felice fruuntur,
  Non breuis hos cineres vrna, sed ara decet.
Ergo pias Stephano sacrate fideliter aras,
  Nè iaceat turpi puluerulentus humo.
Iam saxa, & lapides, moles quibus ardua surgat,
  Verporum ignarâ contulit ira manu.
Nam quo subruitur tormenta per horrida Martyr,
  Plurimus hic poterit condere templa lapis.

III. AVGVSTI.

S. PETRVS *Episc. Agnaniensis Michaelem Imperatorem pronuntiato Mariæ nomine à morbo liberat.*

I.

Pharmaca, cùmque suis dimitte Machaonas herbis,
  Ecce sacer Medicus, quo releueris, adest.
Ille suam tibi, Cæsar, opem reualescere iusso,
  Auxilium mirâ præstitit arte suum.
Sed quæ cura tulit, vel quæ panacea salutem?
  Suppetias nomen dulce, Maria, dedit.
Discite, quàm validæ sint totâ in Virgine vires,
  Si tantùm in solo nomine robur inest.

IV. AVGVSTI.

S. DOMINICVS C. *Ordinis Prædicatorum Fundator, etiam ante ortum prodigiis clarus.*

I.

CLausus adhuc inerat genitricis in ilibus infãs,
Fronte suâ stellam prætulit, ore facem.
Ilicèt ostentis ipso declarat ab ortu,
Vita quibus radiis nobilitanda foret.
At postquàm accreuit, lustris labentibus, ætas,
Liberat impletam præuia fama fidem:
Nam Deus irato dùm fulmen ab axe coruscat,
Ille repellendis ignibus Ægis erat:
Et quoties ruitura labat conterrita tellus,
Collapsurum humero pondus vtroque tulit,
Quas reliqui attollunt caput in sublime Tiaras,
Suppositas pedibus proterit iste suis.
Allegit socios, totum quibus æqua per orbem
Christiadum latè iura, Fidémque ferat.
Sed quid ego per multa vagor præconia rerum,
Vt celebris memorem grandia facta viri?
Tot laudum titulos versu cumulabis in vno,
Si referas, tanti Corporis esse Caput.

S. DOMINICI *mater grauida visa est sibi per somnum continere in aluo Catulum ore facem præferentem.*

II.

Cùm tua te genitrix grauidâ gestaret in aluo,
Flammiferum visa est parturiisse canem.
Cresce, Puer, totumque replens latratibus orbem,
In stygios aude cominùs ire lupos.
Exussit Trojam igne Paris, melioribus vrbes
Accendes studiis, tu modò cresce Puer.

Si qua fides Vati, quem visa est edere mater,
Cælestem Erigones credo fuisse canem.
Tu sol, corda hominum flammis cœlestibus vrens,
In cane sol calidam semper adurit humum.

Innocentius Pontifex Maximus D. DOMINICVM *subijcere humeros ruinam minitanti Lateranensi ædi vidit.*

III.

Ille orbis clarum lumen, columénque labantis,
Cui Domini nomen nomina ferre dedit:
Dùm fulcit Lateranam humeris vectantibus ædem,
Stellifero maior visus Atlante fuit.

Dæmon à D. DOMINICO *cereum ardentem gestare iussus.*

IV.

Ille gregis sacri custos atque Ordinis auspex,
Qui sibi de Domini nomine nomen habet,
Attentus, tacitas dùm nox agit humida bigas,
Exarat apposito seria sensa libro.
Ecce tibi tubulo nigri delapsa camini
Adfuit è stygio ludicra larua lacu.
At postquàm in varias monstrum versatile formas
Se retulit, tandem Cercopithecus erat.
Inque viri pluteum, cui vespertinus adhæret,
Inuolat audaci bellua mima pede.
Siste, inquit Scriptor pius, & vestigia firma,
Luminaque hirsutâ cerea sume manu.
Paruit infelix Nebulo, mox iussus abire,
Præcipiti leuior se rapit indè Noto.
Dùm tulit ardentem Phlegetontius histrio ceram,
Tunc certè, aut nunquàm lucifer ille fuit.

V. AV-

V. AVGVSTI.

Dedicatio S. MARIAE ad Niues, quo die Ioannes Patricius Virginem ex asse hæredem fecit.

I.

QVas rerum Natura parens seruauerat olim,
Mutauit veteres jam nouus ordo vices.
Antè parentis erat morientis filius hæres,
At modò nati hæres cernitur esse parens.

Intempestiuæ niues è cælo delapsæ Templi exædificandi aream Ioanni Patricio demonstrant.

II.

Ardet & æstiferas vomit vsta Canicula flammas,
Sólque Cleonæi terga leonis adit:
Nix tamen è tacito delapsa per aëra cælo,
Æstiuam hyberno vellere texit humum.
Scilicèt hæc habilis Templis, hæc commoda sedes,
Quâ condenda piæ Virginis ara foret.
Illa tuo instituet pariter sub pectore Templum,
Si castas inibi viderit esse niues.

Mira niuium, & æstatis concordia.

III.

Hic vbi conspicui moles patet ardua Templi,
Horruerant rigidis culmina senta rubis:
Donec ab æthereis nix deflua sedibus, aptum
Signauit sacris ædibus esse locum,
Immodico passim quamuis semiusta calore,
Torreret nimiâ Sirius arua siti.
Miraris calidos æstiuis solibus ignes,
Cum niuibus stabilem consociasse fidem:
Mireris potiùs sociatum Matris honorem,
Et niueum castæ Virginis esse decus.

V. AVGVSTI.

S. OSVALDVS *Rex Anglorum, cuius manus, quæ argenteum discum fregit ac in pauperes diuisit, à morte non extabuit.*

.II.

Cœtus egens poſcebat opem, tibi nummus egenti
Quem tribuas, nullus fortè ſuperſtes erat.
Scinditur in varias tibi lanx argentea partes,
Inque inopes ſpargis ditia fruſta ſinûs.
At poſtquàm tibi Parca breues ſcidit Atropos annos,
Dextra diu nullam ſenſit adeſa luem.
Quæ tribuit partita inopi chryſendita turbæ,
Integra poſt obitum debuit eſſe manus.

D. OSVALDI *munifica in egenos manus, longo poſt funus tempore integra perſtitit.*

II.

Accepto non rara manus corrumpitur auro,
Incorrupta, aurum quòd daret, iſta fuit.

V. AVGVSTI.

S. AFRA *M. pro Chriſto flammis exuſta.*

I.

Ad ſacra dùm Veneris te rursùm adducere tentat,
His te compellat Caius, Afra, ſonis:
Elige Vulcani, vel Cypridis ignibus vri,
Alterutro certa es, Nympha, calere rogo.
Sic Prætor; ſed Nympha ſui ſtudioſa pudoris,
Intrepido tales rettulit ore ſonos:
Vrite Mulciberi, Veneris mihi parcite flammæ;
Nam minùs Idalio Mulciber ignè nocet.
Dixit, & attonitum ſimul Afra incurrit in ignem,
Et ſimul attonito friget in igne Venus.

Vreris, Afra, suis nè te Venus ignibus vrat,
Quis modus hic, flammas, ne patiare, pati?

SS. AFRA & MAGDALENA *resipiscentes.*

II.

Afra Cupidineos, & Magdalis arsit amores,
Hæc lacrymis flammas expiat, illa rogis.
Vtraque solerter, sed enim solertiùs egit
Magdala, dùm fusis merg itur ignis aquis.

VI. AVGVSTI.

TRANSFIGVRATIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.
Resplenduit facies eius sicut sol, & vestimenta eius facta sunt alba sicut nix. Matth. 14.

I.

MOns vbi sydereis Tabor est conterminus astris,
Nubilaque aërius trans vaga surgit apex;
Tres numero Proceres Christus sibi legit ab omni,
Arcanæ socios quos iubet esse viæ.
Illic frons radiis præcincta micantibus ardet,
Et nouus insolito fulgor ab ore venit.
Quâque indutus erat, primum mutata colorem,
Æmula fit nitidæ penula tota niui.
Sol micat in vultu, nix candida vestibus albet,
Et neque sol niuibus tàm prope iunctus obest.
Quis, (nisi rem Vatum sacrata oracula firment)
Contiguas soli crederet esse niues?

VI. AVGVSTI.

S. XISTVS *Pontifex Maximus M. cùm esset pro Christo moriturus, D. Laurentij operâ opes in egenos elargitur.*

I.

Iam nece vicinâ, largum tibi funditur aurum,
Vt releues turbæ pauperioris onus:

Iustorum pretiosa solent si funera dici,
Conueniet morti dos magis illa tuæ,

VI. AVGVSTI.

SS. IVSTVS & PASTOR *pueri & fratres gemini, spreto ludo literario, ad Martyrium conuolant.*

I.

Expectate, rudes pueri, quò nobilis ardor,
Quò vos incensi pectoris æstus agit?
Expectate iterùm, Christo plus sanguinis olim,
Major cum fuerit victima, plaga dabit.
Sed quid ego moror intrepidos? Ite, ite volentes,
Quò vos afflatu cælite flamma rapit.
Sæpè probans modico Numen sibi thure litari,
Magnum animum magno corpore pluris habet,

Cælum gemellis fratribus, tanquàm nouis syderibus auctum.

II.

Bis gemini radiant prisca inter sydera fratres,
Hic Pollucis agit, Castoris ille vices.
Sorte tamen meliore, poli super alta feruntur,
Quàm Lacedemoniæ frater vterque deæ.
Tantùm illi alternis cælóque, erebóque fruuntur;
Hi simul æthereis sedibus ambo micant,

SS. IVSTVS & PASTOR *flosculi demessi,*

III.

Vix benè literulas fratres didicêre gemelli,
Iámque gerunt validis bella timenda viris,
Ite leues calami, clamant, procul ite libelli,
Pingenda est alio nostra liquore cutis.
Collaque nudarunt gladio, crudíque Tyranni
Hos grauis impacto messuit ense furor.

Plus tamen è collo lactis quàm sanguinis iuit,
    Plagaque non vulnus, sed magis vber erat.
Crescite bis-gemini, candentia lilia, flores,
    Nî ruber inficeret lilia pura cruor.
Crescite, nec gelidæ metuatis frigora Brumæ,
    Nam dein Elysij vos alet vber agri.
At tu Christiadum sitiens, Deciane, cruorem,
    Quem rapit insanus crimen in omne furor:
I nunc bella viris inferre ferocibus aude,
    Cum tua bullatus rideat arma puer.

VII. AVGVSTI.

S. DONATVS *Aretinus Episc. rerum mirabilium effector.*

I.

IMbribus arua natant, siccis tu vestibus imbres
    Excipis, & nullo prorsùs ab imbre mades.
In partes diffractus abit, qui ritè litanti
    Sacrifico fuerat commodus ante calix:
Frusta legis, partésque suis cum partibus aptas,
    Sectilis in primum pars redit apta scyphum.
Exanimum sine luce jacet, sine voce cadauer,
    Lux fuit imperio reddita, vóxque tuo.
Cùm tibi tot portenta operum miranda patrentur,
    Nîl mirabilius te tamen esse potest.

S. DONATVS *Parentis Martyris Martyr filius.*

II.

Christe, litat geminum tibi victima bina cruorem,
    Te puer & genitor sanguine teste colunt.
Nam Martyr soboles est Martyris ipsa parentis,
    Est sobolis Martyr Martyris ipse parens.

VII. AVGVSTI.

S. ALBERTVS C. *Carmelita suauissimum odorem è tumulo afflat.*

I.

Ambrosios spiras, Alberte, sepultùs odores,
Vt flos ex ipso caudice raptus olet.
Scilicet halantem rapuit mors inuida florem,
At manet erepto flore superstes odor.

In obitu D. ALBERTI *æs campanum spontaneum sonitum edidit.*

II.

De te homines quamuìs sileant, nec fama loquatur,
Sponte tuas laudes tinnula nola sonat.

VIII. AVGVSTI.

SS. CYRIACVS, LARGVS & SMARAGDVS MM. *post præclaram necem, à Luciná Matroná honorificè sepeliuntur.*

I.

CVM vos intulerit Pario Lucina sepulchro,
Mors vobis obitus non erit, ortus erit.

Aliud de eadem Luciná.

I.

Quæ pueris Lucina aderat nascentibus olim,
An peragit partes jam, Libitina, tuas?

VIII. AVGVSTI.

S. MYRO *Episc. mirè in pauperes liberalis.*

I.

Non tibi, ſed miſeris tua rura coluntur egenis,
His etenim locuples, ſed tibi pauper eras.
Perge, Myro, totámque exhauri funditùs arcam,
Inque inopum fidas munera ſparge manus.
Extra fortunam eſt, quidquid donatur egenis:
Has neque flamma rapit, nec latro tollit opes.
Debitor vſuram mendax tibi ſæpè negabit,
Sæpe recuſabit reddere ſemen ager.
Seruet inoffenſas inopum tibi dextera gazas,
Fallere depoſitum non ſolet illa manus.

IX. AVGVSTI.

SS. FIRMVS & RVSTICVS *MM. negatum à Tyranno victum à Superis accipiunt.*

I.

Clauſerat Athletas geminos graue carceris antrum,
Quos premit & longus pædor, & arcta fames.
Qui ferat è ſuperis analecta cibaria menſis,
Miſſus ab æthereâ ſede Miniſter adeſt:
Cœleſtéſque epulas, noſtróque ignota palato,
Attulit Angelicâ liba parata manu.
I nunc, claude fores, & inania clauſtra, Satelles,
Dùm pluat è patulo dapſilis eſca polo.

DD. FIRMO & RVSTICO *Superi victum prouident.*

II.

Quas negat Athletis feritas humana duobus,
Prompta recuſatas prouidet æthra dapes.

Sæpè iuuando nocet tellus, prodéstque nocendo,
Plùs modò, quàm victum si daret, illa dedit.
Ergò, nè noceas, geminis Heroibus escam
Sæpè nega, tellus, sydera sæpè dabunt.

X. AVGVSTI.

S. LAVRENTIVS *M. matrem habuit nomine Patientiam.*

I.

DIue, tibi vitam dederat Patientia mater,
Dùm tener in nostro nasceris orbe puer.
At cùm suppositos pateris tàm fortiter ignes,
Illâ te genitum matre fuisse probas.

D. LAVRENTIVS *craticulæ ferreæ impositus lento igne torretur.*

II.

Quis domitas durat rediuiuus Scæuola flammas?
Quis nouus attonito regnat in igne Pugil?
Laurenti, laus illa tua est, quem ferrea crates
Sustinet, & lento torret adusta foco.
Sed tamen egregiam cedit tibi Scæuola palmam,
Tu totum exuris corpus, at ille manum.
Quóque minor sola est, quàm totũ dextera corpus,
Hoc tua, Laurenti, gloria major erit.

XI. AVGVSTI.

S. SVSANNA *M. cuius sanguinem velo capitis excepit Serena Imperatrix.*

I.

CVM gladio truncata caput Susanna, cruorem
Funderet, arcano plena Viragô Deo:

Currit, & irriguæ liquefacta corallia plagæ,
Flammeolo excepit prompta Serena suo:
Tùm roseo regale caput velauit amictu,
Murice non poterat nobiliore tegi.

XII. AVGVSTI.

S. SYMPHORIANVS *M. Iussus est hic adolescens Berecynthiam, magnam deorum matrem colore, sed eam constanter irrisit.*

I.

Diuino Cybelen venerari iussus honore,
Hanc minimi, quamuis magna feratur, habes.
Erectas capitis tot in vno vertice cristas
Dùm rudis oppugnas, Symphoriane, puer;
Impia degenerum properanter turba deorum
Auxilio matri debuit esse suæ.

XII. AVGVSTI.

S. CLARA *V. opposito sacra Eucharistia ferculo hostes Assisium obsidentes in fugam vertit.*

I.

Velatum obijciens Cereris sub fragmine Numen,
Territat hostiles Clara, fugátque globos.
Terrificæ nemo mihi Palladis ægida jactet,
Armisonæ nemo bellica facta Deæ.
Clarior hâc posthàc mihi nulla Viragine Pallas,
Nulla mihi hoc clypeo fortior ægis erit.

S. CLARA *ferculum Eucharisticum radijs cinctum præ se fert.*

II.

Ciuibus à patriis cognomine Clara, vocaris,
Nominis id genitrix, id dedit esse pater.
Cùm rutilum gestas ipso pro pectore Numen,
Clara, tibi nomen conuenienter habes.

XIII. AVGVSTI.

S. CASSIANVS *apud Brixenses Episc. & M. in exilium eiectus pueros erudit.*

I.

EDucat externos teneris in ouilibus agnos,
Cùm nequeat proprias pascere Pastor oues.

S. CASSIANVS *suis discipulis traditur enecandus.*

II.

Formabat teneros studijs puerilibus annos,
Cassia cui clarum nomen origo dedit.
Ad mortem rapitur trucibus permissus Ephebis
NempeMagisterij triste minerual habet:
Friuola quòd nollet venerari numina, nollet
Perfida sacrilegis quòd dare thura focis.
Qui sonus intentas vt Iudicis impulit aures,
Extemplò in rabiem versus & arma, furit.
Tradite, ait, rudibus cruciandum, tradite turbis,
Vt repetat pœnas, quas dedit ante, puer.
Accelerat Pygmæa cohors, graphiúmque stylúmq;
Aptaque figendis exerit arma notis.

Pars capiti illidunt tabulas, pars vulnera punctim,
 Pars cæsim verso crebra dedêre stylo.
Non aliter furit agmen apum, dùm cominùs hostē
 Impetit, & tenui vulnera figit acu.
Heu! Senior fert mille neces, fert vulnera mille,
 Mille per imbelles mors venit vna manûs.
Námque trucidando Pumilorum turba Magistro,
 Hoc nocet illa magis, quo minus illa nocet.
Crudelis Pietas! Tandem miserefce necando,
 Nec longâ, si vis parcere, parce morâ.

XIII. AVGVSTI.

S. HYPPOLITVS *M. à quatuor equis membratim discerpitur.*

I.

Hyppolite, admissis lacer in diuersa quadrigis,
 Supplicio debes nomina rite tuo.
Næ mentis solertis eras! qui celsa, quaternis,
 Vt citiùs peteres sydera, curris equis.

XIV. AVGVSTI.

BEATVS STANISLAVS KOSKA *Societatis* IESV, *dùm morbo laboraret, à Christo, Christique Matre visitur, & sanatur.*

I.

DVM dubius teneræ jacet æger Sarmata vitæ,
 Ferre requisitam terra recusat opem:
Aduenêre suis, tellus vbi desit, ab astris,
 Cum Puero Genitrix, cum Genitrice Puer.
Illa vtero Genitrix peperit quæ virgine Prolem,
 Et Proles vteri virginis ille Puer.
Nec mora, nescio quò procùl ægro corpore morbus,
 Et Matre, & visâ Prole fugatus abit.

Rursùs vt hi Medici redeant, puto, Koſka, precaris
Sæpiùs vt redeat corporis ille dolor.

HELIAS *à coruo in ſolitudine paſcitur,* STANISLAVS *ab Angelis ſacro epulo reficitur.*

II.

Per memorum deſerta fugit, per inhoſpita Vates
Iſacius pauido curſitat erro gradu.
Nimirùm timet ille necem, quam fœmina Princeps
Inſtruit armatis inſidioſa dolis.
Vix tandèm effugijs ſecluſus ab omnibus, exul
Antra cauernoſæ rupis adeſa ſubit.
Hìc Superum moniti, Seniori coruus alumno
Triticeam gerulo detulit ore penum.
At modò ſyderei pennæ candentis olores,
Apposuere ſacras, Staneſilae, dapes;
Diuinúmque tibi paterâ gemmante cruorem,
Porrigit aligerâ candida turba manu.
Tu tantò meliora refers, quò vilior ales,
Qui ſua Thesbitæ fercula ferret, erat.

B. STANISLAVS *æger ab Angelis ſacrum Epulum, à Deiparâ Chriſtum Puerum accipit.*

III.

Numen edule tibi ſuperis dat Ephebus ab aſtris,
Stringendum amplexu dat quoque Virgo tuo.
Tradere nîl Genitrix majus, nîl poſſit Ephebus,
Nam Genitrix Natum tradit, Ephebus Herum.

B. STANISLAVS *duos inter Angelos depictus.*

IV.

Si tibi quis geminas humeris accommodet alas,
Aut habitus Superis donet habere pares;

Aligeróſque inter medius ſtatuaris Ephebos,
Te ſocium meritò juret vtérque ſuum.

Ad Pictorem.

V.

Cernis vt æthereos ſtet candidus inter olores,
Par habitu, formâ, moribus, ore Puer.
Tu ſimul ac geminas humeris implumibus alas
Addideris, Pictor, tertius Ales erit.

XV. AVGVSTI.

Aſſumptio Beatæ MARIAE *Virginis.*

I.

Iam meritos Reginá potens conſcenderat axes,
Iámque ſui nullâ parte ſuperſtes erat.
Nobilis inter humum lis ſurgit, & inter olympum,
Illa ſibi corpus vendicat, iſte ſibi.
Terra ſacras petit exuuias, & inania pandit
Mauſolea, quibus Virginis oſſa legat.
Ætherei renuêre Chori, pompáque frequenti,
Quò mentem intulerant, corpus in aſtra ferunt.
Aſtra ſuper remane, remane ſuper æthera, Virgo,
Terra tibi tumulum non habet iſta parem.
Quàm tibi pollutas inhumandæ ponimus aras,
Tangere quæ cineres non meruêre tuos!
Debueras toto tumulari condita cœlo,
Vrna, niſi cœlum, par tibi nulla fuit.

Ad Apoſtolos.

II.

Biſſeni Proceres, ſacri gens lecta Senatûs,
Quos grauis ereptâ Virgine mœror habet;

Mittite funereos tumuli Marialis honores,
Nam polus has partes officiosus aget.
Ex quo terra suo primùm prodiuit ab ortu,
Par nullum in terris vidimus esse decus.
Sunt Superi comites ; Christus deductor ouantis ;
Vrna polus ; nubes currus, & astra faces.
Quæ tanto instruitur rerum diuersa paratu,
Non erat hæc tumuli pompa, triumphus erat.

De VIRGINE *in cælum assumptâ.*

III.

Virgo leues Zephiris inuecta curulibus auras,
Quò suus anteuolat Filius, astra petit.
Ergo dies sine sole, & erunt sine sydere noctes,
Si neque Sol terris, si neque Luna manet.
Nec Lunæ, nec Solis erat locus infima tellus,
Iure micant supero Lunaque Solque polo.

XV. AVGVSTI.

S. ARNVLPHVS *Episc. Augustodunensis dùm solitudinem peteret, à lupo itineris duce, iterùm in vrbem ductus est.*

I.

In nemus ingreditur, cæcúmq; Arnulphus in antrũ,
Vt sibi, non gregibus viueret ille suis.
Se lupus adjunxit comitémque ducémque viarum,
Sylua truces inter quas alit illa feras.
Hoc duce desertam Præsul petit inscius vrbem,
Séque illîc subitò, venerat vndè, videt.
Quàm gregis illius felix, quàm prospera sors est!
Pastorem amissum reddidit ecce lupus.

XVI. AVGVSTI.

D. ROCHVS *Alexicacus & pestilentiæ domitor, Hæreseos luem peius peste virus, Monspelio Patriâ sua exturbat.*

I.

Diue, salutari tellus quem sospita dextrâ,
Pestiferam sensit sæpe fugare luem;
Monspelio si longa salus, si purior aër,
Pustula si nullo tabida pure fluit:
Viuida si nitidis dudùm stat gratia membris,
Hæc patrio præstas commoda, Roche, solo.
Altera pugna tibi, tibi restat & altera laurus;
Deterior multò est exsuperanda lues.
Hæresis hanc fœto furialiter euocat antro,
Hâc procul è templis cessit auita Fides.
Exige de patrijs monstrum illætabile terris
Diraque victrici concidat Hydra manu.
Sic tibi, Roche, pios diuorum instauret honores,
Terra ortu multùm facta beata tuo.
Sic tua Mygdonio radiantia marmore templa,
Creber adorator thuris honore colat:
Et titulos addat plaudens tibi fama perennes,
Pellere queis geminam te probet vrbe luem.
Maximus & pestis, noscaris & Hæresis vltor,
Et statuas forti bina trophæa manu.

D. ROCHO *peste & fame laboranti Angelus & Canis appinguntur.*

II.

Roche tuos grassata lues depascitur artûs,
Et jeiuna vorax lancinat exta fames:
Ecce tibi rutilis Medicus volat Ales ab astris,
Ecce, ferat Cereris qui tibi dona, canis.

Ille luem fugat, iste famem, cùm prosit vtérque,
Dic mihi, dic cujus gratia major erat.

A D. ROCHO *pestem fugat Angelus, famem canis.*

III.

A patriâ profugus, dum peste faméque laboras,
Est cane pulsa fames, Cælite pulsa lues.
Quæ te cúnque premat mala sors, absiste moueri,
Inuigilant vitæ terra, polúsque tuæ.

Ad DIVVM ROCHVM *Alexicacum.*

IV.

Iure trucem vexas, qui te vexauerat, hostem,
Dùm procul è nostro pellitur orbe lues.
Te semel afflarat nigro virosa veneno,
Sæpiùs hanc nostro tu tamen orbe fugas.

XVI. AVGVSTI.

S. HYACINTHVS *C. Ordinis Prædicatorum, fluuium Vandalum pedes traijcit.*

I.

Diue, tibi Arctoæ fluuius rapidissimus oræ,
Traijcitur famulis sub pede pressus aquis.
At quanquàm sine naui celer, sine remige curras,
Gutta tuos tetigit non tamen vlla pedes:
Nè grato qui pulcher eras Hyacinthus odore,
Narcissus rapido mersus in amne fores.

Ad D. HYACINTHVM *corpus piè macerantem.*

II.

Fabula purpureum finxit de sanguine florem,
Qui querulas folio fert lacrymante notas.

Tu magis ipſe tuo rubicundus ſanguine flores,
Sarmaticæ columen grande, decuſque plagæ.
In terris Hyacinthus eras, jam tempore nullo
Marcidus, in cœlis flos Amaranthus eris.

XVII. AVGVSTI.

S. MAMAS *parentibus pro Christo captiuis natus, ipſe poſt varia ſupplicia puer Martyr occubuit.*

I.

IN lucem, aut tenebras potiùs, dùm prodiit infans,
Materno egreſſum carcere carcer habet:
Sortitúſque ſuas media inter vincula cunas,
Martyre lac Matris Martyris ore bibit.
Martyr erat moriens, oriens in carcere Martyr,
Et medio vitæ tempore Martyr erat.
Nam poſtquàm puer accreſcens tria luſtra peregit,
In puero fortem ſe probat eſſe virum.
Verbere Spartanus, Romanus & igne probatur,
Verberibus juſſus, juſſus & igne premi.
Diue, rudimentum ponis ſub vtróque parente,
Nè rudis ad Fidei prælia Tyro fores.
Pro Chriſto ſobolem reliqui docuere parentes
Viuere, pro Chriſto te docuere mori.

S. MAMAS *varijs ſupplicijs impunè obiectus demum tridente confoditur.*

II.

Quem neque Vulcanus læſit, neque Nereus hauſit,
Quem neque terribiles impetiêre feræ;
Mammantis triſido ter confodis ilia ferro,
Mille feris dignus, mille, Tyranne, rogis.

Vt positâ feritate feræ mitescere discunt,
Sic pietate homines deficiente furunt.
O furor! ô pietas priscis incognita sæclis!
Ipsa humana fera est, ipse ferinus homo.

XVIII. AVGVSTI.

S. AGAPITVS *M. cui suffocando ignis subijcitur.*

I.

ET flammas jam Martyr erat perpessus,& vndas,
Et quicquid grauido parturit ira sinu.
Pendenti extremos subdis,gens effera, fumos,
Sic tuus in fumos impetus omnis abit.

S. AGAPITVS *ignitas supra caput prunas pro Religione pertulit.*

II.

Quos sua jam meritò virtus transcripsit olympo,
Pingitur his circum tempora bina jubar.
Indigetes inter nondùm numeratus haberis,
Clara tibi rutilo frons tamen igne micat.

XIX. AVGVSTI.

S. LVDOVICVS *Caroli Regis Siciliæ filius, primùm* D. FRANCISCI *discipulus, mox Episcopus Tolosanus.*

I.

PErtæsus Lodoicus opes, pertæsus honores,
Et blando illecebras quas parit Aula sinu:
Ite procùl Trabeæ, dixit, procùl ite, Coronæ,
I procùl ex oculis,regia pompa,meis.
Purpura sola placet nostro rubefacta,cruore,
Sola placet rigidis texta corona rubis.

S. LVDOVICVS, *sui magis quàm suorum dominus.*

II.

Natus ad imperium Lodoix, tamen vsquè putauit
Regna sui regnis nobiliora suis.

XX. AVGVSTI.

S. BERNARDVS C. *adhuc adolescens ex impuræ mulierculæ manibus aufugit.*

I.

ISacides prensantis heræ spem Verna fefellit,
Bernardus cupidæ spem quoque fallit heræ.
Non dubitata fugæ monimenta reliquit vtérque,
Dùm turpem excuterent pellicis ambo manum.
At minus est quod Verna fugit, tu, Diue, relinquis
Omnia, cùm solam deserat ille togam.

D. BERNARDVS *ad religiosæ vitæ septa multos adducit.*

II.

Et Patrem, & Patruum suades, Bernarde, tuæque
Germanos comites quattuor esse viæ:
Téque Sodalitij pubes numerosa coronat,
Dùm sequeris quò te Numinis aura vocat.
Exoras quodcúnque piis sermonibus oras,
Quíque aures dederit, dat tibi, Diue, manûs.

D. BERNARDVS *Claramvallem incolit, cui Abbas præficitur.*

III.

Plurima quam Fagus, quam plurima Quercus inum-
Te tamen in Clarâ degere Valle ferunt, (brat

Quam luce ingenij, ſcriptis, virtutibus ornas,
Inſigniri illo nomine digna fuit.

D. BERNARDVS *Querceta inter diuinis Commentationibus vacat.*

IV.

Glandiferas inter, frondoſa cacumina, Quercus,
Hîc vbi mellitæ ſæpè vagantur apes;
Diuinis, Bernarde, vacas intentus, & hauris
Ambroſias cœli mille fluentis opes.
Hinc liquidi fauus eloquij tibi gutture manat,
Hinc tua nectareo pagina melle madet.

D. BERNARDVS *lac à Deiparâ Virgine impetrat.*

V.

Virgineas ſupplex, Bernarde, precaris ad aras,
Vt Matrem exhibeat ſe tibi Virgo tuam:
Lac dedit vt ſugâs, nullum, mihi crede, parentis
Certius indicium quod dare poſſit, habet.

D. BERNARDVS *Chriſti gemellus.*

VI.

Sydereæ Bernardus erat genitricis amores,
Cujus ab vberibus dulce pependit onus:
Quis fratrē hunc Chriſti non dixerit eſſe gemellū,
Cùm ſimul vnum ambos Virginis vber alat?

D. BERNARDVS *Chriſti collactaneus.*

VII.

E geminis quæ lacte tument candente papillis,
Dat Nato alterutrâ non niſi Virgo frui.
Debetur, Bernarde, tuis mamma altera labris,
Debetur labris altera, Chriſte, tuis.

D. BERNARDVS *à Virgine Deiparâ lactatus.*

VIII.

Æthercam, Bernarde, rogas prece ſupplice Matrem
Cernuus, vt matrem ſe probet eſſe tuam.
Audiit, & facilis ſua promens vbera Mater,
Hæc, ait, oratæ ſigna Parentis habe.
Dixit, & altricem manus exprimit alma mamillam,
Ambroſiámque vibrat preſſa mamilla niuem:
Et liquido pluuium currente per aëra gyro,
Obuia deliciis irrigat ora ſuis.
Ille dati pretioſa timens diſpendia roris,
Perbibit, & toto nectare potus, ait:
In primis vagire iterùm puer ambio cunis,
Eſt ea ſi cunis mamma futura meis.

De mellita D. BERNARDI *eloquentia.*

IX.

Dulcia cùm fluido tibi melle volumina manent,
Eque tuis ſtillent mellea ſenſa labris:
Non ſac, vt pueri, quibus eſt lactare voluptas;
Sed, reor, è mammâ virgine mella trahis.

D. BERNARDVS *auribus mel propinat.*

X.

Ore priùs, non aure bibi, Bernarde, ſolebat,
At mel non bibitur ore, ſed aure tuum.

De tabella in quâ VIRGO MATER *ac* D. BERNARDVS *erant depicti.*

IX.

Et Virgo, & tabulâ Chriſti collacteus vnâ,
Spirat Apelleâ pictus vtérque manu.

Natus in ore fauum, lac mater in vbere geſtat;
Melleus eſt natus, lactea tota parens.
Ambroſio quæ lacte fluit, quæ melle madeſcit,
Dulcior in terris eſſe tabella nequit.

XXI. AVGVSTI.

S. Bassa *impiiſſimi Mariti piiſſima Coniux.*

I.

NVbit inhumano mitiſſima Baſſa Marito,
Et patitur tantum pronuba Iuno nefas!
Accipitri timidæ jungi potuêre Columbæ,
Cùm facilis ſocio juncta ſit agna lupo.

XXI. AVGVSTI.

S. Agapivs *M.* S. Bassae *filius virgis caditur.*

I.

Cur flagris puerum lacerat, nudíſque cruentam
Cur trahit ex humeris carnificina cutem?
Comprobat eſſe animos puerilis pœna viriles,
Nec puerum monſtrat virga, ſed eſſe virum.

XXII. AVGVSTI.

S. Symphorianvs *M. ad Martyrium à matre incenditur.*

I.

AD loca ſupplicij poſtquàm te vidit euntem
Intrepido mater, Symphoriane, gradu:
Clamat, Io, rutili capitolia ſuſpice cœli,
Quò tua te virtus, Nate, Fidéſque vocant.
Non prior eripitur quam ducis ab aëre vitam,
Altera ſed melior vita priore datur.
Iam meritos tibi clara jugat victoria currûs,
Iámque trophæa tuo victor ab hoſte feres.

En tibi laurigeras præferri cerne ſecures,
Móxque aderit iuſto miſſa corona polo.
Nobilis ad tantos ne purpura deſit honores,
Purpura erit fuſus, quem dabis ipſe, cruor.

XXIII. AVGVSTI.

S. SIDONIVS APOLLINARIS *Aruernorum Epiſc. & Vates eximius, Parnaſſum expiat.*

I.

QVÆ priùs inceſtæ fuerant, te Vate, Sorores
Caſtaliæ Paphios dedidicere modos:
Inque locum Veneris, ceſſit pulcherrima virtus;
Quíque profanus erat, caſtus Apollo fuit.

S. SIDONIVS APOLLINARIS *per litteras* S. LVPO *Epiſcopo Trecenſi ſuum ouile commendat.*

II.

Aruerni Antiſtes populi, cui ſacra verendum
Texit honorifico tegmine, Mitra caput:
Tutaturus oues, (vix poſtera ſæcula credent)
Cuſtodem teneri vult gregis eſſe Lupum.

De *illius Nomine.*

III.

Nomen Apollineum tibi contulit augur Apollo,
Cùm dare Apollineum vellet Apollo decus:
Námque vt verticibus Pindus petit aſtra gemellis,
Iàm gemino præerit binus Apollo iugo.
Caſtalidum tu Præſes eris rectórque Sororum,
Dùm remanet veterum Præſes Apollo vetus.

Miræ in Egenos liberalitatis.

IV.

Cœtus egens te poſcit opem; tu, Præſul, egenti
 Munificas dextrâ diuite ſpargis opes.
Poſcit opem, tu ſpargis opes: nam tradis & auri,
 Quicquid & argenti, quicquid & æris habes.
Ceſſit in hos vsûs etiam diſtracta ſupellex,
 Teque velis ipſum vendere, ſi quis emat.
Qui dederit gabatos, cyathos, chryſendetaq; lances;
 Quis putet impoſitos hunc dare nolle cibos?

XXIV. AVGVSTI.

S. BARTHOLOMAEVS *Apoſtolus pelle exuitur.*
Ad Tyrannum.

I.

MArtyris exuuiis circumdate, crude Lycaon,
 Iura volunt ſpoliis vt potiare tuis;
Sic olìm Alcides clauâ victrice ferarum
 Edomiti tectus pelle leonis ouat.
Hoc ſpolium ſi fortè tuos ſuper addis amictûs,
 Veſtiat horrendum pellis ouina lupum.

De DD. BARTHOLOMAEO & MARTINO;
Ad Chriſtum.

II.

Martino tibi plura tuus longè Aſſecla tradit;
 Ille ſibi veſtem detrahit, iſte cutem.
Non deerit, qui, Chriſte, ſuam tibi ponat obollam:
 Qui velit & veſtem ponere, rarus erit.

XXIV. AV-

XXIV. AVGVSTI.

S. Avdoenvs *Rothomagensis Episcopus à ranis diuino Officio obstrepentibus silentium impetrat.*

Solemnes Hierarcha preces & Cantica fundit,
Alternísque sonant concaua Templa Choris;
Seu Matutinas persoluant carmina laudes,
Seu cantata pium Vespera claudat opus.
Intereà sacris raucùm resonabilis Hymnis
Obstrepit, & querulâ rana coaxat aquâ,
Non tulit Antistes streperæ conuicia linguæ,
Et tacitas iussit stare paludis aquas.
Continuò dociles tenuere silentia ranæ,
Inque paludoso delituere lacu.
Plura nequit de te gens garrula dicere, Præsul,
Dúmque silet, laudes concinit illa tuas.

XXV. AVGVSTI.

S. Lvdovicvs *Galliarum Rex ab Aulæ illecebris purus perstitit.*

I.

INtactus mediâ vixit Lodoicus in aulâ;
Vixit vt in medio lucida concha mari.
Arcano sua dona sinu possedit vtérque;
Pocula syderei roris vtérque bibit.
Spurca sit Aulá licèt, salsæ licèt æquoris vndæ
Nîl trahit hic labis, nîl trahit illa salis.

Singulis diebus Veneris flagello se cædit.

II.

Sæuit in innocuos Lodoix vibicibus artûs,
Illâ quæ Veneris nomine dicta dies:
Quà licet, his Venerem longè fugat ille flagellis,
Proſcriptámque locis omnibus acer agit,
Sæpè ſibi ſolidos quæ turpiter arrogat annos,
O vtinam Veneris non foret vlla dies!

Blaſphemis frontem candenti ferro aduri iubet.

III.

Blaſphemo Superos ſi quis violauerit ore,
Sacraque ſacrilegâ Numina voce vocet:
Indecori frontem effrontem Rex ſtigmate ſignat,
Oraque probroſâ ſculpit inuſta notâ.
Criminibus genus id pœnæ conforme repertum:
Nimirùm hâc aliis redditus arte pudor.
Nam poſt inſignem candenti grammate frontem,
Qui queat effrontes dicere, nullus erit.

Blaſphemi ſtigmatia.

IV.

Quæ noua ſcribendi ratio? liber area frontis,
Carbo ſtylus, voces ſtigmata, charta cutis.

Diebus Sabbati mendicabulorum pedes abluit.

V.

Inclyta liligeri Lodoicus gloria ſceptri,
Mendicos tepido proluit amne pedes.
Stratus humi, lino accinctus ſola putria tergit,
Illâ, quâ tenuit Regia ſceptra manu.
Sordibus, & multo quanquàm foret oblita cœno,
Viſa fuit nunquàm clarior vlla manus.

In sacra expeditione peste moritur.

VI.

O Regum, Lodoice, decus, qui cuncta recentum,
Et veterum exuperas fortia facta Ducum:
Eois dum sæua lues grassatur in oris,
Occidis externâ nobilis exul humo.
At decora ingentis longè maiora triumphi,
Quàm sibi vitâ alij, tu tibi morte paris.

XXV. AVGVSTI.

S. GENESIVS *Scriba, ad cuius ædem dùm tendit turba, in flumen cecidit incolumisque enauit.*

I.

Diue, tuam numerosa cohors quæ tendit ad ædem,
In rapidas Rhodani fertur euntis aquas:
Iámque ruinosi pontis dùm machina cœtum
Sustinet, illa cadit pondere victa suo.
At Genesî auxilio non cassa in vota vocati,
Enauit domitis sospita turba vadis.
Tu quoque supplicibus Diui pete Numina votis,
Qui fuerat quondàm Scriba, Patronus erit.

XXV. AVGVSTI.

S. GENESIVS *Mimus per iocum baptizatus ex Ethnico fit Christianus, è Christiano Martyr.*

I.

Dùm sacra ridiculis simulo mysteria sannis,
Lux animo fulsit desuper orta meo:
Ergo ego deposito sumptæ simulamine laruæ,
Mando procùl fictos serius ire iocos.
Aspersæ capiti lymphæ (quis crederet vnquam?)
Pectoribus flammas ingenuere meis.

Sat ludo ſcænæque datum, modò crimina vitæ
Dextra ſalutiferis ritè piauit aquis.
Si quid adhùc maculæ ſupereſt, quod luſtrica nondũ
Ex animo penitùs terſerit vnda meo;
Cæſus adoratas dùm concido Martyr ad aras,
Expiat id fuſus, me moriente, cruor.

XXVI. AVGVSTI.

SS. IRENAEVS & ABVNDANTIVS *MM.*
in cloacam immerſi moriuntur.

I.

Sordibus immerſus ſpurcis ſortitur vtérque
Martyr in immundo funera pulchra fimo.
Tortores grauis error habet, nam lipſana Diuûm,
Quocúnque occultes, ſunt pretioſa, loco.
Sic nihil amittit pretij, nîl gemma valoris,
Hanc licèt indueris ſordidiore manu.
Nec minùs eſt luteâ Titan formoſus in vluâ,
Quàm cum cæruleis aureus exit aquis.
Corporis illuuies te non excludit olympo,
Sit facies animi dummodò pura tui.

XXVII. AVGVSTI.

SS. AVRELIVS & NATALIA *Coniuges MM. ſuſceptâ geminâ ſobole, mutuo conſenſu Caſtitati, non liberis vacant.*

I.

Suſtulerat geminam Conjux è Conjuge prolem,
Vtraque fœcundo quæ fuit orta ſinu;
Iam ſatis indultum ſoboli; nec tertia noſtros
Progenies oneret, dixit vtérque, toros.

Assensere sibi faciles, fratérque maritus
Protinùs efficitur, fitque marita soror.
Sed castum ad thalamum cœli accurrere Quirites,
Cùm Prole accurrit Virgine Virgo Parens.
Qui cupis hanc sobolē, thalamū tibi sterne pudicū,
Nimirùm in casto nascitur illa toro.

XXVII. AVGVSTI.

S. CAESARIVS *Arelatensis Episcopus. Eum allocuturus Rex Theodosius, deponebat diadema.*

I.

Cæsarium alloquitur posito diademate Princeps,
Regalémque jubet frontis abesse notam :
Cur tamen hunc tanto Theodosius auget honore ?
Cæsarius magno Cæsare maior erat.

XXVIII. AVGVSTI.

S. AVGVSTINVS *Hipponensis Episcopus in Africa monstrorum ferace nascitur.*

I.

Augustine, tulit, dùm te tulit, Africa monstrum:
Sæpiùs ô vtinam talia monstra ferat !

Suum ad meliorem frugem reditum procrastinat,

II.

Cras te victurum meliùs promittis ; at illud
Quando suis Titan Cras vehet actus equis ?
Qui non est hodiè, nec cras erit aptus agendo;
Viue hodiè, cur te crastina vita iuuat ?
Cras tandem hoc oritur, coruóque abscedere iusso,
Et vocem & niuei pectus oloris habes.

Ecce biforme parit, varium parit Africa monstrũ
Fis subitò Cygnus, qui modo Coruus eras.

Probitatem cum pari doctrinâ coniungit.

III.

Augustine facis scribenda, legendaque scribis :
Nec liquet an doctus sis magis, annè probus.
Et facit & scribit docta & probâ dextera:doctum
Te scribendo probat ; te faciendo probum.

XXIX. AVGVSTI.

Decollatio S. IOANNIS BAPTISTAE.

I.

INcrepat illicitos Baptista Herodis amores,
Audet & impauido fortiter ore loqui.
Multa tibi cùm, Rex, liceant, pro pellice, dixit,
Non licet vxorem fratris habere tui.
At sæui monitis commota salubribus, ardet,
Fulmineásque vomit Principis ira minas.
Nec satis est tonuisse minis, Caput, inquit, iniquum,
Carnifices, vestro protinùs ense cadat.
Audaces sic lingua sonos compescere discat,
Carpere delicias quæ fuit ausa meas.
Falleris, Herodes, plus muta hæc lingua loquetur,
Te simùl incestum dicet, & esse ferum.

Quidquid petieris dabo tibi, licèt dimidium Regni mei. Marc. 6.

II.

Ergo-nè sacrilego mactabitur hostia cultro,
Et cadet imperiis sanguinolenta tuis ?
Pollicitis majora, Senex delire, dedisti;
Pars fuit Imperij non nisi pacta tui.

Quod tulit vnius pretium Meretricula saltûs;
Imperio maius quis neget esse caput?

Vel.

Ergo-nè vesano ceruix deuota furori,
Concidit imperiis icta, Tyranne, tuis?
Venturis occurre odiis, scelerísque nefando;
Nam iurata fides integra semper erit.
Promissis maiora petit tibi munera Pellex,
Imperio maius nam caput illud erat.

Aliud.

III.

Lasciuæ Imperii pars est promissa puellæ,
Si moueat doctâ vel semel arte pedes:
Crudelis Balatro, Solymique infamia sceptri,
Si Meretrix iterùm saltet, egenus eris.

Da mihi protinùs in disco caput IOANNIS BAPTISTAE.

IV.

Tale caput saltu qui vendidit Institor vno,
Ah! pretium mercis nesciit ille suæ.

Aliud.

V.

Tam charum Superísque caput, terrísque verendũ,
Prostibuli merces gesticulantis erit!
Ah! nescis pretium, nescis imponere rebus:
Nam caput Imperio grandius illud erat.

Præcepit afferri caput eius in disco. Marci 6.

VI.

Iàm sacra messuerat violentus colla Satelles,
Rex ait, Hæc oculis ferte videnda meis.
Nec mora, defixos satiant spectacula visûs,
Inque cauâ prostat nobile lance caput.
Mensa dapes tulerit magno licèt illa paratu;
Fercula nunquàm aliàs tam pretiosa tulit.

Contristatus est Rex propter Iusiurandum. Marci 6.

VII.

Dùm refluo varias Pellex agit orbe choreas,
Et quo debuerat displicuisse, placet;
Dat caput Herodes pretium, poscente puellâ;
Nimirùm ille suam strinxerat antè fidem.
O Regem fidum! sed tùm tantummodò fidum,
Maius perfidiâ est cùm scelus ipsa fides.

Herodes Natalis sui cœnam fecit Principibus & Tribunis. Marci 6.

VIII.

Quæ, Baptista, tibi pariunt lacrymabile lethum,
Quis natalitias has putet esse dapes?

Ecce ego mitto Angelum meum. Exodi 15.

IX.

Paule, tuo; Catharina, tuo de lacte madescit,
At, Baptista, tuo sanguine terra rubet.
Fluxerit irrigui cùm discolor vnda liquoris,
Hæc, nisi me fallunt omina, causa subest.
Supra homines, Superísq; parem te facta loquuntur,
Te probat effusi sanguinis vnda virum.

Ille erat lucerna ardens & lucens. Ioan. 5.

X.

Et flammis ardens & amœno lumine lucens,
Baptistes Christo teste lucerna fuit.
Principis incestos nè lumine prodat amores,
Extincta æternâ nocte lucerna fuit.

Herodias hiante glacie mergitur.

XI.

Fallaci delusa gelu perit obruta Pellex,
Talibus extingui debuit ignis aquis.

Aliud.

XII.

Saltatrix periit glacialibus obruta lymphis,
Digna pati flammas, nî pateretur aquas.

Erit magnus coram Domino Luc. 1.

XIII.

Dicitur à superis infans fore magnus Ephebis,
Qui nondùm attactâ repserat ortus homo.
Magnus vt ille foret dùm corporis integer extat,
Deposito capitis vertice maior erat.

Aliud.

XIV.

Vbere materno nondùm depelleris infans,
Et tamen in syluas paruulus hospes abis.
Hîc te mellificæ longùm pauere volucres,
Inque vicem lactis dulcia mella dabant.
At postquàm te sylua virum iam frondea vidit,
Tecta Sioneæ grandior vrbis adis:
Herodémque ferum, dùm Gloris amoribus ardet,
Turpis adulterij crimine, Diue, notas.

Scilicèt inceſtos (namque hos ; pis innuba figit)
Figere nutrices te docuere tuæ.

Aliud.

XV.

Vina inter moriens abſtemius occidit Heros,
Qui priùs in ſyluis vixit, in vrbe cadit:
Nempè homines ſenſit qui moribus eſſe ferinos;
Moribus humanas ſenſerat eſſe feras.

Aliud.

XVI.

Dùm caput inferret lancem Rex ſæuus in vnam,
Non-nè petit quanti ponderis illud erat?
Impietas fecit pretium, dùm ſubdola Pellex
Viſa ſacrum Regno præpoſuiſſe caput.

Herodes Natalis ſui cœnam fecit Principibus & Tribunis Marci 6.

XVII.

Qui tibi natalis fuerat (crudelis Adulter)
Hei mihi! fatalis quàm fuit ille dies!
Nimirùm mixto feſta inter gaudia luctu,
Lethifer eſt aliis, lucifer ille tibi.

Iocos inter conuiuales S. IOANNES BAPTISTA *detruncatus.*

XVIII.

Ipſa Venus comitem Bacchum ſibi cædis adoptat,
Dùm ſibi ſæuitiæ non ſatis eſſe putat.
Námque inter calices inſons, Baptiſta, peremit
Te Venus, & Veneris, qui ſolet ire comes.

XXX. AVGVSTI.

S. FELIX M. *Deorum Serapidis, Mercurij & Dianæ ſimulacra ſolo afflatu deijcit.*

I.

TErgeminos tenui Felix cum ſtrauerit oris
Flamine, non-nè deos dixeris eſſe leues?

Aliud.

II.

Quàm Felix animosus erat, qui fana deorum,
Solâ animâ pessum, funditùs ire dedit!

Aliud.

III.

Thessalicum impositâ premitur cur Pelion Ossâ?
Grandia Centimanus cur mouet arma gigas?
Nil opus est tantæ tanto molimine molis,
Vt ruat è solio Iupiter ipse suo:
Deiicit afflatu solo trepidantia Felix
Numina, non aliis vtitur ille minis.
Scilicèt insanæ mentis quos vulgus adorat,
Esse deos monstrat tam leuis aura leues.

XXX. AVGVSTI.

S. BONONIVS *Abbas solitudinis amans.*

I.

Niliaci nemorosa petis deserta Canopi,
Quáque licet, mundi totius exul eras.
Sylua tibi fuit hospitium, domus antra ferarum;
Tectum æther, saxum culcitra, terra torus.
Indormisse putent alij, mens libera cuique est;
His ego te thalamis inuigilasse reor.

XXX. AVGVSTI.

B. ROBERTVS DE ARBRVSCELLIS *Ordinis Fontis-Ebraldi, corpus cilicinâ veste induitur.*

I.

Grandibus hirsutam setis, hamísque rigentem,
Indueris toto corpore, Diue, togam:

Aſtringíſque tuos, ferro fodicante, lacertos:
Te putat, id quiſquis viderit, eſſe reum.
Non tamen vllius pœnas das criminis inſons,
Nam tibi mens nullâ labe notata nitet.
His ſtyga profligas Miles Cataphractus in armis,
Et quicquid ſociâ cum ſtyge fœdus habet.
Qui ſtygios ibit ſic loricatus in hoſtes,
Victorem ſimilis palma ferenda manet.

XXXI. AVGVSTI.

S. ARDANVS *Lindisfarnenſis Epiſc. iniecto in mare oleo tempeſtatem ſedat.*

I.

PRæſul, in iratas oleum jacis æquoris vndas,
Cùm prope naufragis cymba fatiſcit aquis.
At vix palladius ſummas liquor attigit oras,
Diue, oleo pelagus mitius eſſe vides.
Atque ita littoreâ Numen quas frænat arenâ,
Gutta olei rabidas ſic quoque frænat aquas.

Aliud.

II.

Ventorum pelagíque minas, cælíque fragorem,
Pacatis olei guttula ſedat aquis.
Symbola compoſitæ pacis nunc cernis oliuum,
At prius indicium pacis oliua fuit.

XXXI. AVGVSTI.

S. AMATVS *Epiſc. vir ſui Nominis.*

I.

In te acres inimicus atrox licèt excitet iras;
Hoſtibus inuitis ſemper Amatus eris.



MENSIS SEPTEMBER.

PRIMA SEPTEMBRIS.

S. ÆGIDIVS *Abbas nutricis ceruæ alumnus.*

I.

ÆGidius ſpretis, fuerat quibus actus, Athenis,
Quæritat ignotos nobilis Erro lares,
Spelæúmque ſubit, tacitos vbi degeret annos,
Quà Rhodanus rapidis iā premit æquor aquis.
At fera ne vacuo pereat ieiunus in antro,
Vbera, quæ turgent lacte, bibenda dedit.
Nō nunc primùm homines animantū nutriit vber,
Quod modò fit, factum tu priùs eſſe putes:
Cerua fit Ægidio nutrix, lupa facta Quirino;
Nutriit hæc puerum, nutriit illa virum.

I. SEPTEMBRIS.

S. IOSVE *Propheta vrbis Ierichuntis mœnia clangore tubarum diruit.*

I.

Nunniades Ierichuntinas euerterat arces,
Thebanæ Amphion conditor arcis erat.
Diſſimiles, ſimiles-nè magis quis dixerit? vrbes
Conſtruit iſte lyrâ, deſtruit ille tubâ.

II. SEPTEMBRIS.

S. Ivstvs *Lugdunensium Episcopus spretâ patriâ Ægyptum petit, vnde tamen corpus eius exanimum in patriam reuehitur.*

I.

QVid Nilñ Rhodano præfers?an barbara Mem-
Pluris erit patriæ quàm pia regna tuæ?(phis
Et nomen pietatis habes, & Iustus haberis,
Dissona vox pugnat moribus illa tuis:
Lentus abes, nec scire licet, quæ causa moretur;
Nec cur ad reditum liber abesse velis.
Non tamen vsque tuis extorris habebere terris,
Nam mors æqua dabit, quod dare vita negat.
Nam quando patrium repetet mens libera cælum,
Et patriam repetet corpus inane plagam.

II. SEPTEMBRIS.

S. Antoninvs *Augustinianus Eremita & M. dextrâ & capite pro Christo orbatur.*

I.

Et palmâ, & meritæ cariturus honore coronæ,
Et capite & dextrâ ni caruisset, erat.
Sceptrum alii, Christóque suam posuere coronam;
Plus dextram, plus est deposuisse caput.

III. SEPTEMBRIS.

S. Aigvlphvs *M. à Columbo Pseudo-Monacho, oculis orbatur.*

I.

EXculpit quicúnque oculos, non ille Columbus,
Mutato potiùs nomine Coruus erit.

III. SEPTEMBRIS.

S. SIMEON STILITES, *quem Mariani Fasti ponunt 24. Maij.*

I.

Pars longæ est emensa viæ, quid Diue moraris?
Ecce tibi ad cœlum jàm breue restat iter.

IV. SEPTEMBRIS.

S. ROSA *Virgo piè in se crudelis.*

I.

ISta inter niueos Rosa formosissima flores,
Non rubet Idaliæ tincta cruore deæ.
Aut si fortè rubet, misto candore rubori,
Illa suo tantùm sanguine tincta rubet.
Sed quid, ais, teneros pia Virgo verberat artûs?
His decet incinctam vepribus esse Rosam.

E D. FRANCISCI *Assisiatis familiâ transfertur in Cœlum.*

II.

Flos nouus Autumno legitur, non tempore Veris:
Gratior hoc, quantò rarior ille fuit.
Hunc rigat irrorans æther, hunc Tuscia gignit,
Franciscíque ferax pauperis hortus alit.
Hunc nè fortè afflent gelidæ mala flamina brumæ,
Consitus Elysiis postmodò viuet agris.

IV. SEPTEMBRIS.

S. MOSES *Legislator & Propheta à matre Nili fluento expositus.*

I.

Dùm tenerum Phariis Mosem committeret vndis,
Elicit hos querulo mater ab ore sonos:

I puer infœlix, paruâ tibi corbe natanti,
Nilus inoffensas sternat amicus aquas.
Vt thalamus, si viuis, erit tibi textile vimen;
Vimen idem, tumulus, si moriaris, erit.

V. SEPTEMBRIS.

S. PROBA V.

I.

TOta pia es, noménque tuum virtutibus imples,
Téq; probat, quisquis nominat esse Probã.
Ast adeò nostro pietas vilescit in æuo,
Improbus vt probrum censeat esse probum.

VI. SEPTEMBRIS.

S. ELEVTERIVS *Abbas malum Genium è pueri corpore expellit.*

I.

OBsessus stygio dudùm puer ibat ab orco,
Hei mihi! quàm multis flebilis hospes erat!
Vidit, & ingemuit Senior, puerúmque misertus
Liberat, & juris jàm finit esse sui.
Vocibus his fugientem orcum pius vrget abactor;
Insequiturque suis, quà licet vsque iocis:
I, pete Tænarios, noti pete chasmatis ignes,
Hîc habita, & nostras desere, prædo, domos:
Aut velut antè redi porcorum in corpora; námque
Fœdus amicitiæ Porcus & Orcus habent.

VII. SEPTEMBRIS.

S. STEPHANVS *Episcopus Diensis adhuc infans diebus Veneris materno lacte abstinet.*

I.

MAtris adhuc blandis Stephanus pappabat in vlnis,
Potabátq; almos, vbera plena, sinus:
Lux tamen his epulis, his sobria temperat escis,
Quæ sibi de Veneris nomine nomen habet.
Hâc mammæ ambrosiam renuit, quâ luce seuerus
Proluerat Christi guttura fellis acor.
Quantus erit cùm vir plenis adoleuerit annis,
Si jàm nunc peragat paruulus ista puer?
Tu lacte abstineas, Veneris quod mamma propinat,
Lac Veneris, nimium dicitur esse merum.

VII. SEPTEMBRIS.

S. EVORTIVS *Episc. Aurelianensis, profectus ad redimendos captiuos, acclamatur Episcopus auspicio Columbæ.*

I.

Captiuam domino prædam dùm subripis hosti,
In bona, quæ vitas, retia, præda cadis.
Quódque magis mirum, non te venaticus Ales
Accepit, sed te blanda Columba capit.

VIII. SEPTEMBRIS.

NATIVITAS B. M. VIRGINIS.

I.

EXue, gens hominum, mordaces exue curas,
Libera lætitiæ da modò fræna tuæ.
Tartareas procùl acta fugit nox atra sub vndas,
Iàm meliore nitet lumine compta dies.

Ecce ſerenandis noua nunc Aurora tenebris,
Sternit inoccidui præuia Solis iter:
Iſta recens, vetus illa; pares tamen vtraq; fulgent:
Venturum illa diem nuntiat, iſta Deum.

VIII. SEPTEMBRIS.

SANCTVS ADRIANVS *M. quem Natalia coniux virum induta in carcerem inuiſit.*

I.

Vincla catenatos cohibebant Martyris artûs,
Adria cui clarum nomen habere dedit.
Impediunt aditus ſeptæ munimina portæ,
Clauſtraque fœmineo non adeunda pede.
Quid faciat? quæ tentet agens molimina coniux,
Vt liceat vetito coniugis ore frui?
O amor! ô caſti genius verſutus amoris!
O puer, innocuos nectere docte dolos!
Induitur mentita virum, vigilúmque cateruas
Fallit in ignoto fœmina cauta ſago.
Diſſimulat ſumpto caliendrum tecta galero,
Haſtilíque manûs armat & enſe latus.
Hos, moneo, cultûs, Natalia, pone viriles,
Maſcula te virtus ſat probat eſſe virum.

IX. SEPTEMBRIS.

SANCTVS AVDOMARVS *Epiſcopus Morienſis mirabilis morborum Medicus.*

I.

Hinc procùl Hippocratis, procùl eſte Machaonis artes,
Herbaque quæ medio ſtillat odora foco.
Si quem ſæua lues teneat, mihi credite, pluris
Audomarus Medicis omnibus vnus erit.
Hi morbos ferróque abigunt, flammíſque recidunt,
Audomarus ſolâ cedere voce jubet.

Si pede claudus opem poſcat, ſi lumine captus:
Rectiùs hic gradìtur, clariùs iſte videt.
Quæque priùs reptabat iners, te, Diue, jubente,
Currere præcipiti viſa podagra pede eſt:
Dúmque valere jubes morbum, dùm viuere mortẽ,
Hic valet imperiis, viuit & iſta tuis.

IX. SEPTEMBRIS.

S. GORGONIVS *M. duas inter lauros ſepultus*

I.

Non equidem cecidiſſe reor ſine Numine Diuûm,
Vt ſacra lauretum Martyris oſſa tegat.
Nempè coronatus, ſtygios qui vicerat hoſtes,
Fronde triumphali debuit eſſe Pugil.

X. SEPTEMBRIS.

SANCTA PVLCHERIA *Auguſta, Virginitatis & Imperij cuſtos.*

I.

HÆc eſt Eoi columen Pulcheria ſceptri,
Quæ titubans vaſti fulciit orbis onus.
Innumeris, licèt vna foret, tamen hoſtibus auſa eſt
Fortiter intrepidas oppoſuiſſe manûs:
Inque maritali coniux ſociata cubili;
Nullâ vmquàm tepuit Cypridis vſta face.
Huic collata procul cedat Sidonia Dido;
Fortior & multò caſtior iſta fuit.

XI. SEPTEMBRIS.

SANCTA THEODORA *poſt adulterium in veſte virili pœnitens.*

I.

CVm Theodora ſuos fœdaſſet adultera mores,
Exuit induto Virginis ora viro:

Vírque viros inter plectit, quod fœmina peccat :
Culpa puellaris, pœna virilis erat.
Te-nè, virum, Theodore vocem, Theodora puellā?
Dic mihi quo tandem nomine notus eas :
Vir simul est, & Virgo simul, nam credo puellam
Dùm caderet, sed dùm surgeret esse virum.

XII. SEPTEMBRIS.

SANCTVS GVIDO *post varias toto orbe iactationes ad cœlestem patriam vocatus appellit.*

I.

IAm tulerat varios terráque maríque labores,
Hospes in ignotâ viuere certus humo :
Cùm morbo afflictus iacuit, fessúsque viarum
Collocat appresso languida membra toro :
Vóxque polo medias fertur delapsa per auras,
Cessit hyems, imber cessit, amice veni.
Cùm sola terrarum, cùm videris æquora ponti,
Sola oculis superant astra videnda tuis.
Vox ità, sed placitum (res mira!) vt cernat olympū,
Guido oculos tempus clausit in omne suos.

XIII. SEPTEMBRIS.

S. MAVRITIVS *Andegauensis Episc. cuius capiti dùm Præsul crearetur columba insedit.*

I.

CInxit vbi meritos tibi nobilis Infula crines,
Et dominum cepit dextra verenda Pedum:
Sacrificas quæ circum ierat ter & ampliùs oras,
Insedit capiti, Diue, columba tuo,
Et trepido alarum motu circumuaga plaudit,
Atque ita quod tellus sancit, id astra probant.

Candida cùm tulerit suffragia candidus Ales,
Téque habilem summo nunciet esse loco;
Id benè si secum perpendat, an esse creatum
Pontificem faustâ te neget vllus aue?

XIII. SEPTEMBRIS.

S. Richardis *Augusta ferro candenti suspectam pudicitiam probare non recusat.*

II.

Testatura suum sine labe nitere pudorem,
Edita nobilibus clara Richardis Auis:
Forcipibus nullis domitos tractare per ignes,
Apparat illæsa rubra metalla manu.
Non timet hæc flãmas Veneris, quæcúmq; rubẽtes
Virgo rosas tactis credit inesse rogis.

XIV. SEPTEMBRIS.

Exaltatio S. Crucis.

I.

VOs quibus ignotus Deus est, confidite rebus,
Præcipiti versat quas dea cæca manu:
At nobis quibus antra erebi, quibus æquora ponti,
Muta quibus tellus clamitat esse Deum:
Vnica jam certæ fiet tutela salutis,
Hospita funestæ quæ necis arbor erat.
Námque hominũ genitor vetitâ dum pascitur escâ,
Intulerat natis omnibus ille necem.
At postquàm sine Patre oritur sata Virgine Proles,
Quæ scelus in patulâ sustulit omne trabe:
Protinus ex illo miseris mortalibus arbor,
Quæ fuerat quondam pœna, medela fuit.
Atquæ ita Peliacæ similis feliciter hastæ,
Planta tulit nostris vulnus opémque malis.

Heraclius Imperatorio cultu indutus, dùm Crucem ferret, secretâ vi remorante gradum sistit.

II.

Progreditur multo latè spectandus in auro
Princeps, & dignas Cæsare gestat opes.
Supposuit humeros sacri sub pondere ligni,
Ex quo aliàs Christi triste pependit onus.
At dùm vrgere gradum dulci sub fasce laborat,
Restitit arcanâ vi faciente moras.
Vidit id Antistes, cui credita summa Sacrorum,
Et Regem, monitis talibus vsus, adit.
Istam humeris, Princeps, Regalibus exue pallam;
Nec diadema tuas cingat, vt antè, comas.
Purpura nulla Cruci, nisi sanguine tincta probatur,
Nec, nisi sit vepribus texta, corona placet:
Dixerat, & dictis faciles accommodat aures
Cæsar, in immotâ stare coactus humo.
Ergo humeros, gemmísque caput nudatus honestũ,
Plebeio induitur Regia membra sago;
Procedénsque humili gressuque habitúque, volentẽ
Approperat nullo ferre labore Crucem:
Quóque priùs tulerat Christus venerabile lignum,
Visus in hunc Cæsar tunc quoque ferre locum.
Scilicèt hoc facto fastûs damnare superbos,
Et vel in Augusto Principe, Christe, doces.
Nec bene conueniunt, nec ab vno Rege geruntur,
Et Crux & rutilæ Regia pompa togæ.

De Clauis quibus Christus Cruci affixus est.

III.

Hic cuneus, quem tristem incus formauit in vsum,
Ferri pondus iners, brutáque massa fuit.

At postquàm impactus sacræ molimine dextræ,
Inque pedes Domini transiit, inque manûs:
Is clauus tibi clauis erit, quâ sydera pandas;
Et tibi claua, erebi quâ fera monstra domes.

XV. SEPTEMBRIS.

SANCTVS AICHARDVS *Abbas diuersa parentum vota solerter conciliat.*

I.

PRælia Mauortis genitor, tibi symbola Christi,
Contra autor genitrix, vt sequereris erat.
Militiam tu Christi adamas: factúmque parenti
Sic sat vtrique piâ calliditate fuit.
Miles eras, id quod genitor tuus esse probabat:
Miles eras Christi; quod probat alma parens.
Litis erat melior dirimendæ nemo sequester;
Victor vtérque parens, victus vtérque fuit.

Cacodæmones aquâ lustrali fugat.

II.

Lucifugus buffo, stigiæque tenebrio noctis,
Exilit, & trepidæ dat nigra terga fugæ.
Scilicèt hunc, Aicharde, rigas lustralibus vndis,
Et sacro intingis monstra profana lacu.
Dic age, cùm liquidæ reprimant incendia lymphæ,
Igneus egelidas cur fugit Orcus aquas?

XVI. SEPTEMBRIS.

S. EVPHEMIA *V. & M. formam amittit, nè pudorem amittat*

I.

AMputat arrepto sibi labra Euphemia ferro,
Vt læso illæsus viuat in ore pudor.

Vidit Amor plagas, & honeſtum dedecus oris,
Hóſque verecundo protulit ore ſonos:
Hæc Venerem calamiſtra decent: formoſior eſſet,
Si foret hoc ferro ſæpiùs vſa Venus.

Eadem ſuo ſanguine miniata.

II.

Creditur hæc mutilis dixiſſe Puella labellis;
Dùm ſibi magnanimâ lancinat ora manû:
Pinge meũ mihi, ſanguis, ebur; nunc iuncta roſetis
Lilia, virgineo pulchriùs ore micant.
Non optem aſcitam fuco mihi quærere formam,
Hoc minio pictus ſi mihi vultus erit.
Ceruſſam natura dedit, iunctúmque decenter
Ceruſſæ minium debuit eſſe meæ.

Eadem integritatis amans.

III.

Nudauit generoſa ſuos Euphemia dentes,
Diſplicitis fugeret dùm placuiſſe procis:
Integritas animi fuit ipſa in Virgine maior,
Cœpit vbi integritas corporis eſſe minor.

XVII. SEPTEMBRIS.

S. LAMBERTVS *Traiectenſis Epiſc. & M. iàm fato functus impurarum mulierculavum oſcula refugit.*

I.

SAndapilæ impoſitum proſtat ſepelibile corpus,
Illibati animi quod priùs hoſpes erat.
Publica pompa ruit, nuptæ innuptæque puellæ,
Crebra verecundis oſcula ferre genis.
Si qua minùs caſta eſt, longè retracta recedit
Protinùs, arcanâ vim faciente manu.

Turpis

Turpis adhuc odium Veneris post funera durat;
Eque animo in corpus trãsit honestus amor.
Quanta pudicitiæ cura! En cernitur Agnus
Lucis egens, olidas extimuisse Lupas.

XVII. SEPTEMBRIS.

Impressio stigmatum D. FRANCISCI.

I.

Quid plagis, Francisce, luis? quid stigmate dignũ,
Purus eras minimæ qui sine labe notæ?
Ah video! plagæ reliquis sunt pœna reatûs:
Hæ virtutis erunt præmia digna tuæ.

XVII. SEPTEMBRIS.

ROBERTVS BELLARMINVS è S I. *Patrum Purpuratorum numero ascriptus.*

I.

Induis Ausoniæ sacra dùm redimicula mitræ
Dúmque humeros ambit Purpura sacra tuos:
Non solùm suffusa pio sunt ora rubore;
Ipsæ etiam vestes erubuere tuæ.

XVIII. SEPTEMBRIS.

S. FERREOLVS è *milite M.*

I.

ORe ferox, ferróque minax priùs ibat in hostes
Ferreolus, sequitur dùm graue Martis onus.
At modò dissimilem melior depugnat in hostem,
Nam noua magnanimus prælia Martyr agit.
Neu licet hostilem Marti velut antè cruorem,
Fundere pro Christo maluit ille suum.

XIX. SEPTEMBRIS.

S. IANVARIVS *Episc. Beneuentanus ad bestias damnatur nec læditur.*

I.

NEc te dente leo, nec tigris vngue lacessit;
Sed posuere suas blandus vtérque minas:
Sanguineum præceps tamen asperat ira Tyrannũ,
Effera præ reliquiis est fera nempe feris.

In fornacem succensam immissus, Dei laudes celebrat.

II.

Conjicitur medios Præsul moriturus in ignes;
Vix Babylon tales viderat ante rogos.
Inter anhelatæ glomerata volumina flammæ,
Festiuis recinit jubila sacra sonis:
Plurimus'e patulis Ales delabitur astris,
Ne numeris desit Musica plena suis;
Mobilibus habiles digitis sua plectra maritant,
Et socios jungunt terra, polúsque sonos.
Nemo mihi memoret morituri funera Cygni,
Vicinâ inferias qui sibi morte parat.
Flumen ad irriguum reliqui modulantur Olores:
Nunc Olor in mediis concinit iste rogis.

XIX. SEPTEMBRIS.

S. GOERRICVS *Metensis Episc. cæcus cùm esset, à duabus filiabus suis deducitur.*

I.

Quas modò plus oculis, his dum fruereris, amabas,
Dirigit errantes vtraque Nata gradûs.
Has tibi cùm geminas videamus adesse Sorores,
Quis te oculis orbum jam putet esse tuis?

Aliud.

II.

Dùm ſequitur, cæcúmque præit dùm Nata parentẽ,
Nox geminos inter cernitur vna dies.

XX. SEPTEMBRIS.

S. EVSTACHIVS *dictus aliàs* PLACIDVS, *dùm prædas venando capit, ipſemet miro oſtento capitur.*

I.

QVà præceps Anio rapitur, venator agebat
Cum ſociis pauidas in ſua lina feras:
Iámq; adeò dùm tela volant, dùm cornua clangũt,
Turbáque dùm leuium latrat odora canum:
Ecce tibi inſolitum & viſu mirabile monſtrum,
Exhibuit trepido territa ſylua metu.
Ceruus enim latæ media inter cornua frontis,
Geſtat adorandæ ſigna verenda Crucis:
Inque ſalutiferâ fixum videt arbore Numen,
Cui Placidus primo tempore nomen erat;
Protendénſq; manûs, Tibi nos, tibi dedimur vltrò
Arbitrio votum eſt viuere, Chriſte, tuo.
Dixit, & è ſyluis abiens, ſua nomina Chriſto
Luſtrali aſperſus flumine ritè dedit.
Aut nulla, aut certè fuit hæc venatio fœlix:
Cuius præda fuit nobilis, alma Fides.

D. EVSTACHIVS *à Nautâ Vxore, à ferâ geminis Liberis orbatur.*

II.

Cùm te legitimâ fraudauit Nauita nuptâ
Cor rapuit prædo perfidus ille tuum.

At tibi cùm geminum rapuit trux bellua Natum,
Mœste parens, oculos abstulit illa tuos.
Cùm tibi cor desit, desint tibi lumina, quis te
Viuere, vel quis te posse videre putet?

In taurum æneum coniectus, lentis ignibus aduritur.

III.

Supplicij deforme genus! crudelia monstra!
Ah malè torquendis monstra reperta reis!
Membra Pericleis Eustachius ignibus ardet,
Et falso artificis mugit ab ore bouis.
At tostum dùm turba putat mugire iuuencum,
Intonat æthereis Musica grata Choris.

XXI. SEPTEMBRIS.

S. MATTHAEVS *Apost. & Euangelista.*

Vidit hominem sedentem in telonio, Matthæum nomine; & ait illi: Sequere me. *Et surgens secutus est eum.* Matth. ix.

I.

CHriste, Trapezitam, digito dùm diuite nūmos
Ad Mensam numerat, sub tua signa vocas:
Ille moræ impatiens sequitur quocúmq; vocātem,
Nec retinet pleno farta crumena sinu.
Astra solo, cœlum cœno, vilique metallo
Æternas sapiens Institor emit opes.
Penè putes inhiare opibus, Deus omnia vendit,
Ipsum etiam pretio vendit emace polum.
At quanquàm modico cœlum venale sit auro,
Vix tamen emptorem qui licitetur, habet.

D. MATTHAEO *scribenti Angelus appingitur.*

II.

Scribenti, Matthæe, tibi benè Penniger adstat;
Vnde petas pennam, si tibi desit, habes.

Æthiopibus Baptisma confert.

III.

Qui lauat Æthiopas, operam malè perdit & vndam;
Nam manet in vultu qui fuit ante nigror.
Tu tamen hos sacrâ lustras dùm Flamen in vndâ,
Nec Matthæe operam, nec malè perdis aquam.

Inter sacrificandum securi percutitur.

IV.

Dùm litat extructam Mystes operatus ad aram;
Hunc Popa barbarico barbarus ense ferit.
Sic qui sacrificus, quíque extitit antè Sacerdos,
Victima nè sacris desit opima, cadit.

XXI. SEPTEMBRIS.

S. IONAS *Propheta in Ceto nauigans.*

I.

Æoliis Vates multum jactate procellis,
Sed tandem æquoreæ nobilis esca feræ,
Ille fuit tibi cymba, fuit tibi nauita piscis,
Ille fuit votis portus & vnda tuis.
Hospite tu tanto gaudes, ille hospite tanto;
Miratórque tuæ sortis es, ille suæ.
Tertia lux aderat, cùm fido in littore Cetus
Expuit illæsum, quod priùs hausit, onus.
At tibi mens iterùm si sit decurrere ponto,
Nîl tibi Nautarum, nîl tibi ratis opus.
Labere jàm notam vastæ pistricis in aluum,
Nulla tibi poterit tutior esse ratis.

XXII. SEPTEMBRIS.

S. MAVRITIVS *M. Thebææ legionis ductor.*

I.

Inclyte Bellator, Thebææ gloria gentis,
Cui toties cinxit Laurus honora caput:
Ah! cadis immeritâ, cadis ictus Cæsaris irâ:
Dum jubet incestô numina thure coli.
Grande tibi reliquos decus est si viceris hostes;
Clarus ab hoc victor, si supereris, eris.
Bis ter mille tuum comitantur ad astra triumphum,
Militibus laus est cum Duce velle mori.
At vos, Thessalici Proceres, hunc credite vestrum,
Qui vos ad cœlum duxerit, esse Ducem.

Palo alligatus ac melle inunctus Vesparum aculeis exponitur.

II.

Qui te cœtus apum melle vngit, acumine pungit,
Quàm leuis ille fugit, tàm grauis ille furit.
Mors tua melle licèt foret illita, maxime Ductor,
Melle tamen dulci dulcior illa fuit.

De Eodem.

III.

Cæsareis poteras obsistere fortiter armis,
Bellatrix poterat te Duce tota cohors;
Tu tamen auspiciis Christi te ad pulchra vocantis
Vulnera, deposito fortiùs ense cadis.
Fulmen eras belli, vires jaculabile fulmen,
Non nisi flammiuomo dum cadit axe, probat.

XXII. SEPTEMBRIS.

S. PHOCAS *Olitor è terris in cœlum Martyrio translatus.*

I.

Cultor eras rigui, Phocâ, studiosus agelli,
Cultor eras animi doctior ipse tui.
Nam quamquàm tibi terra sinu daret vbere flores,
Pulchrior è cunctis floribus vnus eras.
Christus vbi proprio tinctum te sanguinis ostro
Vidit, Hic in nostris flos, ait, insit agris.
Nec mora, te superi digitis carpsere Coloni,
Et carptum Elysio conseruëre solo.
Atque ait hunc rutilo florem qui seuit in horto,
Indigna est isto germine vilis humus.
Tu quoque qui superis florescere quæris in hortis,
Sic animi cultor sedulus esto tui.

A fratre natu maximo porcis pascendis præficitur.

II.

Cùm fratrem Suibus frater præfecit alendis,
Proh facinus! Porcis tradita gemma fuit.

XXIII. SEPTEMBRIS.

S. THECLA *V. & M. inter feras illæsa.*

I.

STant circùm Armenij, nuper fera turba, leones,
Et quantùm Calydon vix genuisset aper.
Illæsæque pedes lambunt sine fraude puellæ,
Tutáque mansueto Thecla sub vngue manet:
Quæque lacertôsos prostrauerat ante gigantes
Bellua, conspecto Virginis ore pauet.

Dúmque feras inter versatur sospita Virgo,
Tales ad Socias edidit ore sonos:
Si qua puella velis, melitæos quære catellos;
Hæc mihi syluarum turba, catellus erit.

Aliud.

II.

Vrsus & Vrsa piæ lingunt vestigia Nymphæ,
Carnificis rigido dùm tonat ore furor.
Thecla suos mores crudelibus indidit vrsis,
Carnifici mores indidit vrsa suos.

Aliud.

III.

Dedidicit primos aspectâ Virgine mores;
Nec tigris est rabidam se memor esse feram.
Suppliciter placidæ blanditur more catellæ,
Et jacet ante pios, vt solet agna, pedes.
Mitius ingenium tortoribus esse decebat,
Si potuit rabidis mitius esse feris.

Aliud.

IV.

Magnanimus Libycæ leo quondam terror arenæ,
Lambit inoffensos Virginis ore pedes:
Ipsaque depositâ tanti formidine rictûs,
Marmoricam pectit tuta puella jubam.
Mutat vtérque vices; mores nam Virgo leonis
Induit, & mores Virginis ipse leo.

Eadem dum procos fugeret, ab hiante vltrò rupe excipitur.

V.

Lenones dum Thecla fugit, quæ tuta leones
Molliter impressâ mulserat antè manu;

Ecce tibi, miranda fides! inuitat euntem
Diuiduo rupes peruia facta sinu.
Virgo subit trepidi festina pudoris azilum,
Delusósque cauâ ridet ab arce procos.
Casta pudicitiæ si te non tangat honestas,
Si tibi sit nullus virginitatis amor;
Quæ trepidam excepere sinu bipatente puellam,
His tibi cor saxis durius esse puto.

Varia suppliciorum monstra quibus obijcitur debellat.

VI.

Mirare herculeos in Virgine, terra, labores,
Mirare imbelli monstra subacta manu.
Scilicèt indomitos domuit Virguncula tauros,
Et rabiem cicures ponere jussit apros.
Vincitur vndarum quibus est immissa, vorago;
Vincitur accensæ subdita flamma pyræ.
Quæ priùs Alciden media combussit in Oetâ,
Visa est virgineis parcere flamma comis.
Nempe pudicitiæ numen portenta verentur,
Séque feras ipsæ non meminere feræ.
Castum ergo quicúmque potes jugulare pudorem,
Sæuior an monstris, an potes esse feris?

XXIV. SEPTEMBRIS.

S. GERARDVS *Hungariæ Episc. & M. quo autore bini Ministri ante aram Deiparæ Virginis excubabant, eámque assiduo thuris suffitu adolebant*

I.

ANte aram gemini stant nocte diéque Ministri,
(Ara Genitricis Virginis illa fuit.)

Templaque fumoso nigrantia thure vapotant,
Virgineósque adolet diues acerra tholos.
Hæc pietas, Girarde, tua eſt, te Præſule, Virgo
Mater odorifero cœpit honore coli:
Pérque ſuperbifici laquearia fumida templi,
Surgere thuricremo vigil ab igne vapor.
Scilicèt arcanos, quibus intùs adureris ignes,
Indicio fumus prodidit ille ſuo.

XXIV. SEPTEMBRIS.

S. Paphnvtivs *M. occiſis ferro Socijs, palmæ tamquam cruci affigitur.*

I.

Paphnuti, tua turba comes cadit icta ſecuri.
In palmæ infixus ſtipite fortis obis.
Quàm benè juncta tuo ſociatur pugna triumpho!
Crux tibi dat palmam, dat tibi palma crucem.
Námque recuruatis vbi palma tenaciter vlnis
Te tulerit, palmam tu quoque, Diue, feres.

XXV. SEPTEMBRIS.

S. Firminvs *Ambianenſis Epiſc. & M. capite minuitur.*

I.

TE, quia caſſus eras capitis, diadema coronat,
Quod tamen in capitis vertice ſtare ſolet.
Res fuerat priſcis hæc olim incognita ſæclis,
Hîc vbi non caput eſt, ſtemmatis eſſe locum.

XXVI. SEPTEMBRIS.

S. IVSTINA *V. & M. quam Aglaidus, accito in auxilium Cypriano tunc Mago, deinde Martyre, frustrà deperit.*

I.

IGnibus Idaliis flammatus Amasius ardet,
  Iustinæque oculos depereundo, perit.
Ardor inexpertum nihil esse relinquit amanti;
  Rémque agitat per fas omne, per omne nefas.
Dúmq; mouere nequit Superos, mouet horrida visu
  Tartara, nec stygios non ciet ille deos.
Nil Erebum timet illa tamen, victríxque resistit
  Vna tot illecebris Virgo, tot vna minis.
Nempè pudicitiæ septum gerit ægide pectus,
  Quámque putat leno Cyprida, Pallas erat.

XXVII. SEPTEMBRIS.

S. COSMA & DAMIANVS *MM. Medicinæ arte præstantes ambo fuerunt.*

I.

SEdulus en reliquis quæ vulnera curat vterque,
  Hæc sibi quando insunt vulnera, Martyr amat.

XXVII. SEPTEMBRIS.

S. CALLISTRATVS *præceps in mare actus à Delphinis excipitur & ad littus defertur.*

I.

Dulcè canis, dùm te cædit, Callistrate, tortor,
  Vt resonat pulsu pectinis icta fides.
Delphinésque tuæ capti modulamine vocis,
  Allambunt placidæ pinea texta ratis.

Dúmque procellosum detruderis actus in æquor,
Te geruli tergo sustinuere suo:
Nec priùs absistit cœpto pia bellua cursu,
Quàm saluum sicco littore reddat onus.
Postmodò nauigium non est quod inutile quæras,
Vox naulum; delphin nauita; vector eris.

XXVII. SEPTEMBRIS.

S. ELZEARVS *Comes* S. DELPHINAE *castæ Coniugis castus Coniux.*

I.

Nobilis Elzeario nubit Delphina marito;
Æqua pari semper sint, precor, astra iugo.
Tàm benè luteolæ junguntur lilia calthæ:
Tàm benè pæstanis bellis amica rosis:
Tàm benè cælato rutilus carbunculus auro:
Tàm benè phœnici juncta columba foret.
Nam quantùm ad socij genialia fœdera lecti,
Ille fuit tantùm frater, & illa soror.
Nec sua nupta virũ, nec amat vir tangere nuptam,
Quamquàm habitent vno nuptáque, virq; toro,
Sic neque sol lunam, neque solem tangere luna,
Quamquàm habitent vno lunáque sólque polo.

S. DELPHINA *Pudicitiæ gemmâ insignis.*

II.

Berillos, digitísque gerit Delphina smaragdos;
Et latè radiat sardonychata manus.
Gemma illi pretiosa tamen magis vna refulget;
Illa verecundi gemma pudoris erat.
Tot varias inter, digitorum sydera, gemmas,
Clarior in dextrâ virgine nulla fuit.

Castum vtriusque Connubium.

III.

Vt rosa Narcissis accumbit & agna columbis,
Sic Sponso fruitur Sponsa pudica suo.
Nam sic alloquitur castum Delphina maritum,
Dùm primâ in thalamum nocte marita venit.
Tu mihi quod frater charæ solet esse sorori,
Et tibi ero fratri quod solet esse soror.
Dixerat, & nexis in mutua fœdera dextris,
Sponsus cum Sponsâ virgine virgo manet.
At subiit castum soboles pulcherrima lectum,
Quam saluâ peperit virginitate parens.
Virgine virgo fuit proles dignanda cubili,
Virgo torus dignus virgine prole fuit.

XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. THIEMO *Episcopus Salisburgensis & M. captus à Turcis iussusque truncum Mahometis simulacrum instaurare, in frusta comminuit.*

I.

SQuallebat Scythici signum execrabile Vatis,
Quod colit inflexo Thracia turba genu.
Pars deerat cariosa situ, tibi trunca, Thiemo,
Quæ repares statuæ fragmina, Turca dedit,
Ferte citi, ferte arma citi fabrilia, clamas,
Tradita sunt jussâ protinùs arma manu.
Ille securigerâ simulacrum fictile dextrâ
Scindit, & in partes mille repentè secat.
Mors pretium egregij fuit immortale laboris;
Praxiteles nullum tàm benè finxit opus.
Fingendis alij laudem meruere sigillis,
Comparat hic summum comminuendo decus.

XXVIII. SEPTEMBRIS.

S. VENCESLAVS *M. Dux Bohemiæ dolo matris Drahomiræ occisus, quæ hiatu terræ absorpta est.*

I.

Improba dũ rapidis vehitur Drahomira quadrigis,
In stygias terræ chasmate fertur aquas.
Non tamen est habitura leuem post funera terram,
Cui viuens alias tàm graue pondus erat.
Terra parens illi præbet se jure nouercam,
Quæ propriæ sobolis sæua nouerca fuit.

XXVIII. SEPT.

S. THOMAS de VILLANOVA *Valentinus in Hispania Episcopus, suis adhuc puer se vestibus exuit vt Mendicum induat.*

I.

Martino quis enim renuat te pluris habendum,
Grande Valentinæ sydus & vrbis amor?
Tu totam, quæcumque fuit, largiris egenti,
Ille suæ exuitur nîl nisi parte togæ.

XXIX. SEPTEMBRIS.

S. MICHAEL *Archangelus, Deo aduersus Luciferum strenuè militat.*

I.

O Quem te memorem, Volucris pulcherrime (Turbæ,
Atria qui cœli præpes ad alta volas!
Aureus in jaculis radias, stygióque Cerastæ
Sibila protentâ cuspide colla teris.
Ille Iouis veri solium affectare rebellis,
Tantus inest error mentibus! ausus erat.

At tu Pennigero ſpectandus in agmine Ductor,
Protinùs vltrici corripis arma manu :
Et Superûm comitante globo, noua prælia miſces;
Et domito victor ſtrenuus hoſte redis.
Ille per immenſi cœli ſpatia ampla volutus,
Corruit horrendæ merſus in antra Stygis.
Iure quidem quò ſe extulerat leuiore volatu,
Perfidus, hoc lapſu deteriore ruit.
Non aliter læſis cecidit Vulcanus ab aſtris,
Lemniaco exuſtus torrida membra foco.
Sed quid ego leuium refero mendacia Vatum?
Non fuit hîc fallax fabula, pœna fuit.
Nam nimis id verum furui probat arbiter Orci,
Ridiculum Vates quod facit eſſe jocum.

S. MICHAEL *animarum ad cœlum deductor.*

II.

Libera depoſito dùm pondere corporis exit,
In patrias cœli mens reditura plagas,
Criminis extorres animas ad ſydera ducit,
Ætherei Michael gloria rara Chori.
Friuola gens Vatum, quid inanem fingitis Hermem
Sæpe per æthereas ire, redire vias;
Dùm ſerpentigerâ mentes ſuper æthera virgâ
Ducit, vt infirmas pellit abactor oues?
Præſtet id officii ſuperæ cùm Signifer aulæ,
Is mihi Mercurius verior vnus erit.

XXIX. SEPT.

S. QVIRIACVS *Anachoreta leonis obſequio clarus.*

I.

Mole leo, formâque minax, rictûque pauendus,
Quiriacum famulus deueneratur herum.
Præficit hunc horto Senior, furéſque rapaces
Territat, & reliquas, bellua ſerua, feras,

Et quicquid vel parua domus, vel postulat vsus,
Dauus hic obsequio detulit omne suo. (ronet,
Nolim hominum famulantum ingens me turba co-
Par operam præstet dùm mihi Verna parem.
Tu tantùm famulêre Deo, iussúsque ministram,
Et tigris & pardus mox tibi præstet opem.
Nam serui obsequium Deus æquâ lance rependens,
Hos famulos famulis imperat esse suis.

XXX. SEPTEMBRIS.

S. Hieronymvs *Ecclesiæ Doctor, pectus pugnô & saxo fatigat.*

I.

NVdatos feriente sinûs dum Dalmata saxo
Tundit, & armatâ pectus inerme manu;
Plagarum crepitûs inter lassatus, anhelò
Hos semel atque iterùm rupit ab ore sonos:
Est animus, corpúsque nocens, pars vtraq; peccant,
Vtraque pars pœnas, quas meruere, dabunt.
Christe mei (nam corpus egent animúsque medelâ)
Sis animi Medicus; corporis iste silex.
Ille quidem durus, sed enim mihi durius illo,
Dùm te sustinuit lædere, pectus erat.
His dictis pugnum intentans, silicémque rigentem
Impactâ referit pectora nuda manu.
Quod totiès pugno, totiès quod vindice saxo
Contudit, attritum nemo cor esse neget.



MENSIS OCTOBER.

PRIMA DIE OCTOBRIS.

S. REMIGIVS *Rhemensis Episcopus.*

CRedite, Rhemensis securo in littore sistet,
Tali Remigio sit modò pulsa ratis.

Præmatura in Puero sapientia.

II.

Et pater & genitrix sobolem sibi poscit vtérque,
Et nasci sobolem gaudet vtérque parens.
Infantem primæ subeuntem limina vitæ
Qui videt, in Puero nîl puerile videt;
Et nisi adhuc teneri cernat cunabula Pupi,
E senibus natum crederet esse senem.

Clodouæum Francorum Regem Christianis sacris addicit.

III.

Quantus is est, qui Regũ apices, dominámq; coronã,
Compulit imperio, Christe, subesse tuo?
In Reges, Regúmque animos cui tanta potestas,
Hunc ego majorem Regibus esse reor.

Cæcus cùm esset, cæco lucem & oculos dedit.

IV.

Cæcus adest, vacuósque oculis extorribus orbes
Monstrat, & orbatas luce carere genas:
Et baculo prætentat iter, dextrâque fideli,
Et querulo reducem te rogat ore diem:

Túque oculos, quibus orbus eras, largitis egenti,
Fallor, an huic oculos tradis habere tuos?

Aliud in idem.

V.

Remigium quicumque oculis miratur egentem,
Mirari casum desinat; ecce, dedit.

I. OCTOBRIS.

S. NICETIVS *Treuirensis Episc. coronâ insignitus nascitur.*

I.

Grande decus capitis, visus gestare coronam,
'Attonito insignis nascitur orbe puer.
Nuda coronatos internitet area crines,
Aut Mystæ certa hæc, aut nota Regis erit:
Sed Mystæ, non Regis erit, secat Infula litem,
Quæ simùl est & honos verticis, est & onus.
Imparibus quod sæpè humeris nutauerat olim,
Hoc onus infantem sentit habere pares.

I. OCTOBRIS.

S. BAVO C. *relictâ Aulâ regiâ, Quercum in quâ mellificabant apes, incolit.*

I.

Qui priùs argutâ Bauo regnabat in Aulâ,
Nunc excisa caui Roboris antra colit;
Hæc Regis tamen aula fuit, qui sæpè volantes,
Ipse volans ad opus Martis agebat apes.
Vtraque par, fallor, dispar est vtraque sedes,
Pristina plus fellis, plus noua mellis habet.

Hospita BAVONIS *Quercus ab Angelis frequentatur.*

II.

Et superæ Mentes, & apum pennata iuuentus,
Bauo, tuos celebrat, quernea septa, lares.

Defore Pennigerum nunquàm tibi credo sodalem,
Siue sit ille poli; siue sit iste soli.

B. FRANCISCVS BORGIA S. I. *conspecto Isabellæ Augustæ cadauere, rebus fluxis vale-dicit.*

I.

Hesperiæ occiderat Princeps Isabella coronæ,
Quâ fuit in toto pulchrius orbe nihil.
Additus exuuiis custos, tristíque feretro,
Luctificâ Regis voce jubentis eras.
At dum putre vides, tabóque informe cadauer,
Labraque cecropio pallidiora fauo.
Hei mihi! conclamas, nec vultu vultus in illo est,
Nec primi species oris in ore manet.
Lux oculos, cerussa genas, rubor ora reliquit,
Iamque aliud, bellum nîl nisi nomen habet.
Hiccinè magnificæ dominam manet exitus Aulæ?
Siccinè tàm pulchri concidit oris honor?
Aula vale, vale Nobilium fauor inclyte Regum,
Nemo mihi dominus, qui moriatur, erit.
Ex hoc, rara fides! cœptum est tibi viuere Christo.
Principium vitæ mors fuit illa tuæ.
Vtque dies oritur, tenebrosæ filia noctis;
Nascitur ex ipsâ sic tibi morte salus.

Aliud in idem.

II.

Illa tot imperiis Isabella, tot inclyta sceptris,
Bis gemini Princeps quæ fuit vna maris,
Occidit, huic quamuis Phœbus non occidat vmquã,
Et cinis est hodie, quæ fuit ignis heri.
Parua nec in solidi spatium producta Decembris,
Absumptam penitùs funerat vna febris.

Et spes & titulos, & auitæ nomina gentis,
Condidit exiguo, quo jacet illa, rogo,
Quàm fuit vrna capax, quæ tot simùl vna recondit,
Vel quàm parua, illo quæ latuere loco.
Hæc Francisce vides, vertísque ad sydera mentem,
Hìc vbi mors nullâ falce pauenda furit.
Visa dat aspectu tibi mortua fœmina vitam,
Sæpè dat aspectu fœmina viua necem.

I. OCTOBRIS.

Festum. S. ANGELI CVSTODIS.

Ad ANGELVM CVSTODEM.

Fide gubernator, nostræ qui vela carinæ,
Per vada, per scopulos, & maris alta regis;
Quas animo, gratésque tibi quas voce rependam,
Qui me per rerum mille pericla rapis?
Infantem, puerũ, juuenémque, virúmque, senémque,
Dignaris studio peruigilante sequi.
Perge igitur, Tutela vigil, nec desere clauum,
Dùm portum teneat salua carina suum.

Aliud in illud Isaiæ 33. Angeli pacis amarè flebunt.

II.

It pius in lacrymas Ales, te dante cachinnos,
Lætis ille oculis, si lacrymeris, erit.
Ridet enim te flente, fleat si riseris vltrò;
Et quod non peragis munus, id Ales agit.
Ergonè Cœlituum tangit quoque pectora mœror?
Ergonè Cœlituum risus in ore sedet?
Quid superest nisi flere tuos sine fine reatûs,
Semper sit lacrymis lætus vt ille tuis?

II. OCTOBRIS.

S. LEODEGARIVS *Episc. Augustodunensis & M. pluribus tormentis clarus feliciter moritur.*

I. (phis,

CLarior hæc reliquis visa est mihi palma trium-
Quam totiès domito Præsul ab hoste tulit.
Trusus in obscuræ tenebrosa ergastula noctis,
Fulget vt indicio prodita flamma suo.
Fronte oculos scrutata manus radicitùs hausit,
Plùs oculis cassus, quàm priùs, ille videt.
Scrupea saxeti tractûs per fragmina currit,
Ad cœlum his stimulis promptius egit iter.
Cædua labra cadunt, cadit orbo lingua palato,
Eloquio nunquàm fertiliore fuit.
Antiquis sine fine nouos superadde dolores,
Et totâ armorum mole, Tyranne, feri (tyr,
Non hoc deprimitur, premitur dùm pondere Mar-
Quin etiam vt gradibus, cladibus astra petit.

II. OCTOBRIS.

S. SERENVS SERVVS *quinque solidorum pretio vaniit.*

I.

Qui vænum exposuit minimâ mercede Serenum,
(Nam tantùm quinis assibus emptus erat:)
Vel malè decipior, vel certè imponere demens
Nescierat pretium mercibus ille suis.

Pascendo pecori sponte addicitur.

II.

Mentis vt illæsum seruet sine labe nitorem,
Lanigeras ductat sponte Serenus oues.
Sæpe minùs feritatis habet quicúmque ferarum,
Quàm qui hominũ in mediis cœtibus esse solet.

Feris vices Pastoris sæpè demandat.

III.

Dum pius Opilio dapibus se pascit inemptis,
 Escâ animum refouens nobiliore suum;
Sæpè feris pecudes vltrò commisit alendas,
 Fitque lupus Pastor, qui modò raptor erat.
Ite procùl celeres, fidum genus, ite Molossi,
 Grex vigilum excubiis non eget iste canum.

Mentem pariter & agrum excolit.

IV.

Mentis eras cultor, cultórque feracis agelli;
 Et mens culta magis, quàm tibi cultus ager;
Nam licèt almus ager messes cum fœnore reddat,
 Mens tua virtutum germina plura tulit.

III. OCTOBRIS.

S. IOANNES CVZVBITA C. *è montis vertice in præceps agitur à Cacodæmone, quem sæpè humano è corpore exire coëgit.*

I.

TVrpem Orci genium nemorosæ cultor eremi,
 Iusserat hospitio cedere sæpè suo:
I procùl, I, dixit, miseros cur corporis artûs
 Incolis, vt proprios, ambitiose, lares?
Exiit infrendens alieni liminis hospes,
 Non tamen, vt rabie feruet, inultus abit;
Nam Senis inualidum Phlegetontius incola corpus
 Trudit ab aërio montis ad ima jugo:
At Senior lapsu in longo per inane volutus,
 Illæsum nullo vulnere fertur onus.

Risit, &, O, dixit, casu grauiore ruebas,
Dùm veri ambires regia sceptra Iouis,
Ille per æthereos dextrâ te vindice tractûs,
Impulit in cæcum, lurida regna, chaos.
At quàm corruerit Iustus, Deus ipse cadenti
Supponit placidam leniter antè manum.

IV. OCTOBRIS.

S. FRANCISCVS ASSISIAS C. *spinas in quibus volutatur, in rosas mutat.*

I.

VIX Francisce tuis serpebat in ossibus ignis,
Quem malè lasciuus serpere jussit Amor;
Protinùs hirsutæ remouens graue pondus abollæ,
In medios nudus diceris isse rubos:
Sed voto frustratus abis, paliurus hebescit,
Et rosa fit subitò, quæ modò spina fuit.
Mordaces abeunt in mollia lilia sentes,
Vérque suas alio tempore pandit opes.
Nimirùm tribulorum apices, & spicula norunt,
Conueniat meritis quale cubile tuis.

S. FRANCISCI *pudor in spinis securus.*

II.

Cypridis afflatus turpi Franciscus ab æstu,
Membra cruentatis lancinat icta rubis.
Hoc te sente, Pudor, decet indormire grabato,
Molliter in mediis nè jugulere rosis.

In niuibus volutatur S. FRANCISCVS, *&*
impurum amorem fugat.

III.

Cùm nitidum, nulláque notâ violabile pectus
Incendit, sociâ matre, Cupido puer;
Franciscus gelidas, si quis daret, iret in vndas;
Nulla sed hybernis solibus vnda fuit.
Nam glacie strictis, velut arctâ compede, riuis,
Velabat niueum cana pruina solum.
Ergò niues, Francisce, petis, positáque lacernâ
In rigido versas membra perusta gelu.
Non poteras meliùs, nam vellere purior omni,
Nix candorem animi denotat illa tui.

D. FRANCISCVS *familiaris cicada &*
ouicula.

IV.

Cujus ad imperium digito suffulta canebas,
Cujus eras toties dicta, Cicada, soror;
Morigeram simili compellat voce bidentem,
Et pectit placidâ lanea terga manu.
Dùm pecudem innocuam dextrâ palpatur amanti,
Colludit niueæ concolor agnus oui.

D. FRANCISCVS, *fulmen è cœlo imminens*
Mortalibus, auertit.

V.

Nutabat trepidâ tellus lapsura ruinâ;
Nî nouus hic humeros supposuisset Atlas:
Nam Deus humanæ speculatus atrocia gentis
Crimina, corripuit vindice tela manu.

Vibraturus

Vibraturus erat totius robore dextræ,
Quales Pentapolis senserat antè faces.
Procumbis, flectisque ipsum, Francisce, Tonantem,
Nec quæ decreuit stringere, tela vibrat.
Tùm tellus pauitans, Quotiès desæuiet æther,
Pro clypeo posthàc, tu mihi, dixit, eris.

V. OCTOBRIS.

S. APOLLINARIS *Valentiniensium Episc. humo ex aridâ fontem elicit.*

I.

ARebant sitiente solo fontésque lacúsque,
Siccus & exhaustis alueus omnis aquis.
Præsul, arenosi per hiantia jugera ruris,
Pressabat sterilem puluerulentus humum.
Et sitit, & circùm nullos videt ire liquores,
Tingat vt exiguo torrida labra lacu.
Procumbit suppléxque rogat, de cespite viuo
Prosiliat riguæ vitreus humor aquæ.
Prosiluit, properísque fluens per saxa scatebris,
Te blando inuitat murmure, Mysta, bibe.
Accelerat, quæ turba latus tibi plurima cingit,
Et tecum arentem mergit in amne sitim.
Dúmque recessisti, tecum simùl vnda recessit,
Functa erat officio scilicèt illa suo.
Quantus eras, Præsul, docilis cui terra paratas
Sponte dat, & rursùm sponte resorbet aquas!

Intumescentem Rhodanum, in quo nauigabat, repressit.

II.

Tempestas inopina furit, fragilémque phaselum
Penè repentinis obruit Auster aquis:

Cætera turba metu trepidat, sed Præsul aquosas
Imperturbato corripit ore minas:
Sistite præcipites, vaga flumina, sistite motûs,
Et ratis in vestro tuta sit ista sinu.
Finierat, Rhodanúsque fugax mandata loquentis
Sensit, & attonitis mitior ibat aquis.
Threicius Vates tumidum compescuit æquor,
Imperat iratum Mysta silere vadum;
Forma tamen non vna fuit, quas repprimit vndas
Blanditiis Orpheus, repprimit iste minis.

V. OCTOBRIS.

S. PLACIDVS è S. BENEDICTI *familiâ, Luciferum sydus adoraturum se negans, occiditur.*

I.

Occidit implacido Placidus placidissimus ictu,
Carnifice intrepidum perfodiente latus:
Ne malè Lucifero stans coràm procidat astro,
Lethifero Placidus fortior ense cadit.

VI. OCTOBRIS.

S. BRVNO *Carthusianorum Fundator; horrendâ demortui voce perterritus, Eremum petit seque silentio addicit.*

I.

DIC, quid agis solidos, sylvæ interiore recessu,
Nemine, sed tantùm Numine teste, dies?
Et latebras inter, vísque inter viuere saxa?
Vísque inter latebras, duraque saxa mori?
Quid-vè feris nouus hospes ades, totúmq; silentis,
Aut vitæ aut mortis ducere tempus amas?
Voce quid horrificâ insonuit vocale cadauer;
Vt priùs assueto te vetet ore loqui?

Scilicèt exanimes rupere silentia Manes :
Iam viuos, pressâ voce, silēre decet.

S. BRVNO & SOCII S. HVGONI *Episc. Gratianopolitano designati per visum, vti septem Planetæ.*

II.

Quantus is est, micat insolitâ qui luce coruscus ;
Sydera qui terris intulit, atque polum ?
Iure tuos Socios septem dixere Planetas,
Quos inter Bruno, Phœbus vt alter eras.

S. BRVNO *in Eremum secedit.*

III.

Hîc vbi Bruno suum Sociis comitantibus æuum,
Ignotus reliquis, sed sibi notus agit :
Cur spelæa voces ? meliùs viridaria dicas,
Quæ flores gremio tot peperēre suo.

S. BRVNO *in imagine ad viuum expressus.*

IV.

Horrificæ Bruno stupefactus imagine mortis,
Solus in horrenti delitet hospes humo.
Aspicis vt docti dextrâ rediuiuus Apellis,
Posthumus exangui spirat in ore color? (versat,
Quicquid id est, quod mente agitat, quod pectore
Nescio quid magnum, quod meditetur, habet.
Verba daturus erat, sed quam tulit ille silendi
Legem aliis, arctâ relligione tenet.

Carthusiani purâ veste, Olorum instar candidi.

V.

Mutabit natura vices, syluísque relictis,
Ceruus in æquoreâ nabit, & vrsus aquâ.
Nam priùs ad liquidas recinebat fluminis vndas,
Plurimus in syluis nunc tacet albus Olor.

Ad. RR. PP. CARTHVSIANOS.

VI.

Si solis benè qui latuit, bene vixit in vmbris,
Veridico, prudens, vt canit ore Sophus;
Vos qui sejunctâ refugi latitatis eremo,
Ducitis innocuos, & sine labe dies.
Nîl tamen est, tacitas cur sic abeatis in vmbras,
Nam meliùs virtus vestra latendo patet.

VII. OCTOBRIS.

S. MARIA *de Victoria Lepantiaca*: *Quo die à Christiano exercitu ope Virginis, fusi fugatique sunt Turcæ.*

I.

DVm gerit Hebræus, gererent dùm prælia Thraces,
Ordinibus cedunt Lunáque Sólque suis.
Sol stetit, Hebræus gereret dum prælia miles,
Dùm Thraces gererent prælia, Luna fugit.

Aliud, quo alluditur ad verba hæc Apocalyp. 12. Luna sub pedibus tuis; *& ad Lunam Turcarum.*

II.

Virgo Parens geminos pollens Regina per orbes,
Et solâ, cùm sis maxima, Prole minor.

Christiadum victrice manu cùm Thracius hostis
    Verteret ignauæ territa terga fugæ;
Auspice te victa est, & se tibi subdidit vltrò;
    Debet enim pedibus Luna subesse tuis.

VII. OCTOBRIS.

SS. SERGIVS & BACCHVS *muliebri veste induuntur ad probrum.*

I.

Fallitur, imbellem Athletam si judicet esse,
    Qui tectum indigno cernit vtrúmque peplo.
Fœmineus Pugiles quamuis velaret amictus,
    Hos animus fortis sat probat esse viros.

De S. BACCHO.

II.

Non agit insanis muliebriter Orgya festis,
    Nil mirum, Bacchus sobrius iste fuit.

VII. OCTOBRIS.

S. GERALDVS *M. cuius corpus abditum, spontaneo nola tinnitu & noui syderis ortu proditur.*

I.

Fortè Palæstinas ibat pius hospes ad oras,
    Christe oculis quondàm, quæ placuere tuis:
Ecce tibi gemini, prædâ stimulante, latrones,
    Immeritum plagis comminuêre caput.
At ne fortè grauis superent vestigia noxæ,
    Obtegit occultum conscia sylua nefas:
Attonitas sed sponte suâ procùl impulit aures,
    Quæ nullâ quatitur, tinnula nola, manu:
Flammaque, commissi sceleris nè deforet index,
    Triste parentanti sydus in axe micat.

Quid proſunt tacitæ, latebroſa ſilentia, ſyluæ ?
Non hominum clamant ora, ſed æra ſonant ;
Nec pia lugubribus clarantur funera flammis ;
Sed quas parca negat terra, dat æthra faces.

VIII. OCTOBRIS.

QVATVOR CORONATI *Martyres.*

I.

CErne polum geminas tantũ oſtentare coronas,
Roma, Coronatis quattuor, vna micat.

VIII. OCTOBRIS.

S. SIMEON *Confeſſor.*

Nunc dimittis, &c. Cupio diſſolui, &c.

II.

Eſtis vterque pares voto, ſed diſpare cauſâ ;
Dùm, Simeon, dùm vis tu quoque, Paule, mori.
Tu quia Chriſtus abeſt, diſſolui, Paule, rogabas ;
Dimitti, Simeon, tu, quia Chriſtus adeſt :
Vt videas Chriſtum, moreris tu Paule, ſed ipſum,
Tu contrà, Simeon, vt moriare, vides.

D. SIMEONIS *Epitaphium.*

II.

Phœbe ſepulchrales celebra Simeonis honores ;
Ille ſacræ moritur dignus amore lyræ.
Vrnam incîde tuæ tenui mucrone ſagittæ,
Talis vbi imparili carmine Leſſus erit :
Hîc jacet in medio, paſſus ſua funera, cantu ;
Sarcina dùm gremium chara ſenile premit.
Sic niuei candoris olor, quo gutture cantum
Fundit, eo vitam gutture fundit olor.

VIII. OCTOBRIS.

S. PELAGIA *in veste virili Pœnitens.*

Illa olim Syrias inter famosa puellas,
Quæ ductum à Pelagi nomine nomen habet;
Luget in obscuro camerati fornicis antro,
Se priùs Idaliæ signa tulisse deæ:
Et vestem, & cum veste animos induta viriles,
Quæ priùs admisit virgo, vir illa luit.
Vlcisci (neque enim satis est in virgine fellis)
Mascula fœmineum debuit ira nefas.

VIII. OCTOBRIS.

S. BRIGITTA *Vidua, quam cùm Mater in vtero ferret, accepit in somnis se propter fœtum à naufragio liberandam.*

I.

Enatat incolumis per te, propè naufraga mater,
Dùm te vtero ferret, parua Brigitta, suo.
Quis nouus hic ordo? reliquos sua pondera mergũt,
Fertur & ecce suo pondere, salua parens.

IX. OCTOBRIS.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA *Athenis natus Parisiis moritur.*

I.

NAscentem puerum doctæ vidistis Athenæ,
Gens Parisina sacrum vidit obire Senem;
Nec poterat siue interitum, siue inspicis ortum,
Nobiliùs nasci, nobiliùs-vè mori.

Dato quàm accepto sanguine clarior.

II.

Quamlibèt acceptus sit clarus origine sanguis,
Clarior, effuso sanguine, Martyr eras.

E solis deliquio infert Authorem naturæ pati.

III.

Te graue deliquium solis dum perculit, hauris
E tenebris animi lumina prima tui.

A Francis, quos Baptismate donarat, comburitur.

IV.

Francigenûm prælustre decus, cui Gallia sacro
Flumine tingendum subdidit ampla caput:
Lota salutiferis fuerat quæ natio lymphis,
Ipsa tuæ flammas, Diue, reponit aquæ:
Et tibi quæ fuerat lustrata piantibus vndis,
Æmula te flammis expiat illa suis.

Semi-vstulatus feris illæsus obiicitur.

V.

Iam lento semûstus erat Dionysius igne,
Quæ superant, rabidis dantur edenda feris.
Non tamen esuriunt, jeiuna caterua, leones,
Intactóque famem sustinuere cibo.
Plus sapuit tortore leo, plus Præside tigris,
Pabula dùm geminæ non sapuere gulæ.

Truncato capite, Martyrij laureâ donatur.

VI.

Abſciſsâ ceruice minor, ſed pectore maior,
Diue, coronandum tollis ad aſtra caput.
Scande celer, ſuperóſque vola ſuper ætheris orbes,
Te merces pretio ſanguinis empta manet.
Magna ſitu, maior populis, & maxima ſceptro
Gallia, ſed meritis eſt minor illa tuis.

Amputatum ſibi caput manibus ſuſtentat.

VII.

Partem hominis magnam, rerum mentiſq; capacē,
Diue, tibi tortor meſſuit enſe caput;
Ad terram tendebat onus, ſed ſectile collum
Suppoſitâ properas ſuſtinuiſſe manu.
Immundam nè tangat humum tam nobile pondus,
Aut collo, aut manibus debet ineſſe tuis.

Aliud in idem.

VIII.

Tortor idem Præſulque caput, ſed diſpare formâ
Suſtulit; enſe prior, ſuſtulit iſte manu.

IX. OCTOBRIS.

S. DEMETRIVS *M. cuius chlamys ſanguine tincta effranes aquas repreſſit.*

I.

Siſtit inundantes fluuios, vndáſque rapaces,
Martyris illuſtri ſanguine tincta chlamys:
Vſque adeò natura Deum veneratur aquarum,
Cedat vt exuuiis Martyris ipſe furor.

IX. OCTOBRIS.

S. ABRAHAMVS PATRIARCHA *filium immolans in tabella depictus.*

I.

Triſtis in aggeſto moritura ſtat hoſtia buſto,
Et videt armatas in ſua fata manûs.
Arduus elatos genitor libratur in ictûs,
Inque caput pueri ſtringere tela parat.
Enſem vrget, lethúmque manus iam mota tuliſſet,
Sed plagam, inuito patre, moratur amor.

X. OCTOBRIS.

S. IOANNES C. *Ordinis* S. AVGVSTINI, *inter ſacrum faciendum totus liqueſcit in lacrymas.*

I.

FLamen adorandas ſacris operatus ad aras,
Æſtuat, & poſito tegmine, membra leuat.
Incaleant quantis flagrantia pectora flammis,
Indicat è capitis qui volat arce, vapor:
Pérque oculos pérque ora piis ſtillantia guttis,
More niuis lacrymæ iugè fluentis eunt.
Sic poſtquàm artifici latuit roſa condita plumbo,
Lacryma ſuppoſitis ſtillat odora rogis.
Rerum mira fides! jàm naſcitur hoſtis ab hoſte;
Nam ſacer has animi parturit ardor aquas.

XI. OCTOBRIS.

S. BRVNO *Episc. Coloniensis, quocúnque iter instituat, piam librorum suppellectilem secum defert,*

I.

ESse cupis tecum doctos vbicúmque libellos,
Illa tuum releuat turba sodalis iter.
Sic ego credo viæ te non sensisse laborem;
Esseda facundus nam comes vsque fuit.

XII. OCTOBRIS.

S. CYPRIANVS *Carthaginensis Episc. & Martyr, ortu clarus, sed vitâ clarior.*

I.

NObilis ille quidē est, quē ducis origino sanguis,
Vita tamen generis nobilitate prior.
Est virtus pretiosa magis quàm pendula bulla;
Scilicèt ingenuos hæc probat, illa facit.

In Africa moritur.

II.

Iam satis ipsa suo Libye flagrabat ab igne;
Tu tamen ecce nouo sanctiùs igne flagras:
Nam simùl in vitium flammas iacularis & ignem,
Vita tibi fulgur, vox tua fulmen erat.
Afer in immensum geminatis ignibus ardet,
Nam nouus antiquis additus ignis eras.
Barbarus extinxit te sanguinis imbre Tyrannus;
Vna tot ardores Africa ferre nequit.

Dùm ad supplicium ducitur, paucos quos habebat aureos, carnifici, vt de se benè merito, iussit numerari.

III.

Diue, necis pretium recipit, te dante, satelles,
Nempè tui rarus funeris emptor eras.
Pauca tamē recipit, neq; enim tibi plura supersunt,
Siccinè tam paruo sydera cautus emis?

XIII. OCTOBRIS.

S. GERALDVS *in superiori Aruernia famosus, inter Psalmos recitandos vltimum spiritum efflat.*

I.

PAndite syderei fulgentia limina Templi,
Cœlicolæ, portis en nouus hospes adest.
Clauditur hæc coruis, reseratur oloribus Aula,
Ergo Geralde tibi conuenit iste locus.
Quàm meritò puros inter numeraris olores,
Qui moriente sacrum concinis ore melos!

XIII. OCTOBRIS.

S. COLMANNVS *M. innocens suspenditur ex arenti trunco, qui subitò reuirescit.*

II.

Colmannus, falso cæcus quem crimine Iudex
Insimulat vanâ proditione reum,
Nodatus laqueo collum trabe pendet ab altâ,
Et sterilis tantum sustinet arbor onus.
Torque alio donandus erat, nec debuit illo
(Indignum!) iuuenis regius esse throno.
Ecce repentinas extendit in aëra frondes,
Quæ dudùm orba sui furca viroris erat.

Sublatum infami letho, dùm floruit arbor,
Testatur juuenem non meruisse mori.
Quicquid Causidicus, quicquid crepet ore Patronus,
Hæc meliùs causam Martyris arbor agit:
Eximiâ pietate virum, sine fine reclamat,
Colmannum improbitas sanciit esse reum.

Colmanno iam vitâ functo præter morem crescunt capilli.

II.

Crescentes, Colmanne, tibi post funera crines,
Canitiem capitis te meruisse probant.

Suspensus ex Arbore extat inhumatus.

III.

Pensilis es, nec, Diue, solo mandaris humandus,
Indigna est tali funere vilis humus:
Despice quicquid id est quod terra ostentat inanis,
Cuncta vides oculis, Diue, subesse tuis.

XIV. OCTOBRIS.

S. DOMINICVS *C. à loricâ, quâ corpus domabat,* LORICATVS *dictus.*

I.

PArce piam laniare cutem, cur criminis expers,
Sanguine vis puras contemerare manûs?
Nîl reus es, tamen ira tuos malè sæuit in artûs,
Qui calybe immeritum stringis, & ære latus.
Cur solidis lorica tegit te ferrea nodis?
Arma quid in mediâ pace cruenta geris?
His ego, Diuus ait, fugo tela Cupidinis armis,
Hæc lorica meum munit ab hoste latus.
Tu quoque, lasciuis pectus violabile telis,
Hâc quicumque teges ægide, tutus eris.

XV. OCTOBRIS.

S. THERESIA *V. ab Seraphino in corde sauciata*

I.

NVper amabilibus feriit tibi pectora telis,
Aliger æthereo lapsus ab axe puer.
Diua, salutiferâ quod transfixere sagittâ,
Quàm cordi hoc superis credo cor esse Choris!

Aliud in idem.

II.

Nescio quæ magnæ pectus sublime Theresæ,
Trajecit supero dextera missa polo.
Tàm benè quæ certo jaculum collineat ictu,
Hanc, Amor alme, tuam credo fuisse manum.

D. THERESIA *ad* CHRISTVM.

III.

Pectoribus jam Christe meis illabere, vastam
Dat tibi quâ venias peruia plaga viam.
Ales amor crebris terebret mihi pectora telis,
Liberius solito quò tibi pandat iter.

D. THERESIAE *Symbolum*:
Aut pati aut mori.

VI.

Scire cupis, Lector, quibus intùs amoribus vtar,
Vota mihi, vel mors; vel mihi vota, dolor.

D. THERESIA *saucia ad* CHRISTVM *itidem saucium.*

V.

Da veniam si vera loquar, tibi tristia tortor,
Nobiliora mihi vulnera fecit amor.

CHRISTVS *ad* THERESIAM.

Talia, si nescis, non fecit vulnera tortor,
Tortorum at manibus cautior vsus amor.

XVI. OCTOBRIS.

S. GALLVS *Abbas vrsum famelicum reprimit, quo deinde tamquam famulo est vsus.*

I.

CVrrebat stimulante gulâ, cupidúsque parabat
Ingerere inuentas vrsus in ora dapes.
Siste, Senex dixit, nostræ male prædo culinæ,
Non calet hæc stomacho mensa parata tuo.
Mox dabitur quod hiando petis, tamē antè juberis
Larga super nostro ponere ligna foco.
Audiit, & docilis properat mandata minister,
Et quæcúmque Senex imperat, vrsus agit:
Ergo dapes modicæ, (merces ea pacta labori)
Morigeræ satiant guttur inane feræ:
Et patitur Senior sociæ sit vt incola cellæ,
Dùm rabido nulli vulnera dente ferat.
Ite, quid obsequium defertis inutilè, serui?
Iste suo famulus sufficit vnus hero.

Aliud in idem.

II.

Gallus erat quondàm trepidi formido leonis,
Galle, vrsi posthàc tu quoque terror eris.

S. GALLI *funus equi ferocissimi ad locum Sepulturæ sponte deducunt.*

III.

Depositâ grauiore sui jam parte, volârat
Gallus ad optatos, præmia digna, lares.
Protinùs indomiti funus traxere veredi,
Collaque inexperto sponte dedere iugo:
Vsque adeò toto prorsùs nîl cernitur orbe,
Ardua quod virtus non domet, esse ferum.

XVII. OCTOBRIS.

S. ANDREAS *M. altero pede truncatur.*

I.

TOrmentorũ aciem, numerosáq; vulnera passus,
Alterius Martyr fert quoque damna pedis.
Quis credat, nisi sint Superi, nisi Numina testes?
Ocyùs amisso currit ad astra pede.

XVIII. OCTOBRIS.

S. LVCAS *Euangelista, cui scribenti bos alatus appingitur.*

I.

QVàm bene conueniunt, tabuláq; fidelis in vnâ,
Et Lucam & socium jungit imago bouem!
Et Lucas & taurus arant, sed dispare formâ,
Æquor arat libri Scriba, juuencus agri;

Bos quoque diſparibus, Lucáſque accingitur armis,
Vtitur ille vnco vomeris, iſte ſtylo:
Vt volet, vt ſcribat, pennâ munitur vtérque,
Ille humeris pennam geſtat, & iſte manu.

Aliud in idem.

II.

Pinge Parætoniam, Loligine pinge papyrum,
Vt ſacrum abſoluat ſumma coronis opus;
Nam ſi deficiat dextræ ſcribentis arundo,
Pennas, ne ceſſes ſcribere, taurus habet.

Aliud in idem.

III.

Antè animal tardũ, modò bos tibi penniger adſtat,
Dùm linis arcano myſtica ſenſa libro.
Perge tibi quæcúmque polus vulganda miniſtrat
Scribere, nec calamis poſtmodò parce tuis:
Si pennam quam dextra mouet, detriuerit vſus,
Bos volucer pennas, quas tibi tradat, habet.

D. LVCAS *vnà cum cum boue depictus in tabella.*

IV.

Fare, quid appoſuit Lucæ tua dextera, Pictor,
Symbola, ruricolam, non ſatis apta, bouem
Qui tanto ſudore colit Chriſti impiger agrum,
Aptior huic poterat nullus adeſſe comes.

De boue Lucali alato.

V.

Cernis inauditas qui bos gerit impiger alas,
Ponè tuos ſtratum, Diue, cubare pedes?
Hunc niſi ſacra tui teneat reuerentia juſſi,
Iam foret aëria viſus abire viâ.

Vel minimo nutu dederis si signa volandi,
Iàm volucrem videas ire per astra bouem.

Aliud de eodem.

VI.

Festinum Lucæ forsan mirabere taurum,
Cùm soleant tardi lentiùs ire boues.
Si nescis, celeres noster stylus addidit alas,
Quadrupedémque pigro de boue fecit auem.

Aliud de eodem.

VII.

Intempestiuo taurum quid acumine pungam?
Ecce volat, stimulo non eget ille meo.

Aliud de eodem.

VIII.

Assumptis volitare bouem qui viderit alis,
Ecquis araturas esse negabit aues?

D. LVCAS VIRGINEM DEIPARAM *cum puero* IESV *depinxit in tabella.*

IX.

Exiguo rasæ depinxit in orbe tabellæ,
Artifici Lucas Virginis ora manu.
Et Puer, & Pueri Mater, spirare, moueri,
Visus vtérque tibi, visus vtérque loqui.
Nam quis ab hâc viuam non speret imagine vocē,
Quâ Verbum & Verbi pingitur ipsa Parens?

Aliud in idem.

X.

Et Matrem & Puerum pingis, sed dispare formâ:
Moribus hic, calamis pingitur illa tuis.

Aliud in idem.

XI.

Famosum longè Lucas superauit Apellem,
Hic Veneris pinxit, Virginis iste decus.
Dædalus artifici Lucas hoc maior Apelle,
Quò minor est magnâ Virgine ficta Venus.

E D. LVCAE *Medici tumulo salubris succus emanat.*

XII.

Vrna salutifero tua, Diue, liquescit amomo,
Et fugat innumeram certa medela luem.
Quanta tua est pietas! morbis bonus vsq; mederis,
Téque etiam Medicum post tua fata probas.

Aliud in idem.

XIII.

Exanimum sudat redolentia balsama corpus,
Balsama lethiferis quæ medicina malis:
Nimirùm variante vices sorte, accidit vt qui
Arte fuit Medicus, jàm medicina foret.

D. LVCAS *Historicus, Pictor, & Medicus.*

XIV.

His calamo confers, aliis medicamine vitam:
Sic mortem triplici præditus arte fugas.

Lucalibus schola instaurantur, Michaëlibus absoluuntur.

XV.

Scriba sacer, bos antra tuus Parnassia pandit,
Quæ celeri Michaël clauserat antè fugâ:
Scilicèt vt tardos puerorum turba juuencos,
Æmula pennigeras sic imitetur aues.

Dùm ſtudiis abeunt, hos dixeris eſſe volucres,
Dùm redeunt, tardos dixeris eſſe boues.

Aliud in idem.

XVI.

Bos vocat Aonias ad priſtina penſa Sorores,
Palladium Michaël terminat Ales opus.
Schemate ſignari nequiit meliore juuentus;
Vt bos ad ſtudium tendit, vt ales abit.

Ad Pictorem, de boue Lucali depicto in tabella, ſtudij reſumendi nuncio.

XVII.

Pars eſt grata tuæ, pars eſt ingrata tabellæ,
Solerti eſt, Opifex, quæ tibi picta manu:
Vt placeat, nullâque oculis non parte probetur,
Oblinat alatum ſpòngia preſſa bouem.
Nempè juuentuti, terræ bos natus arandæ,
Nuntiat immenſi grande laboris onus.

De eadem tabella.

XVIII.

Cur geminas tauro Pictor dedit inſcius alas?
An leuis vt pigros adjuuet ala gradus?
Quin potiùs frangenda boui, quò tardiùs iret,
Cædua, ſucciſo poplite, crura forent.

Iuuentus Lucalium laborem fugitans, ab alato boue ad ſtudia reuocatur.

XIX.

Otia depoſitis meditata juuenta tabellis,
In vacuos lætis greſſibus ibat agros:
Dúmque grauem refugâ curuis ceruice juuencis,
Difficili findi vomere vidit humum;

Sic ait, O reduci tarda ad Lucalia tauro
Producent longas otia nostra moras.
At primos vehit ecce dies inopina labores:
Alatum juuenis nesciit esse bouem.

De eodem.

XX.

Cur pede tam lento Pindi juga scandimus omnes?
Cur facili studio vita nec ipsa satis?
Causa patet, teneris Phœbi modò tardus alumnis
Bos præit, elapso Bellerophontis equo.

Bos Lucalis stimulo non eget, sed fræno.

XXI.

Parcite festinum stimulis impellere taurum,
Quin potiùs fræno, quo teneatur, eget.
Nuntius ingrati veniat quicúmque laboris,
Is citiùs, tardus sit licèt, vsque venit.

Ad D. LVCAM *de boue, eius Symbolo.*

XXII.

Non benè conueniunt picti tibi stemmata tauri:
Tu properas, tardos dùm mouet ille gradûs.
Vel noua, sublato, quæras tibi stemmata, tauro,
Vel disce à proprio lentiùs ire boue.

Ad D. LVCAM *Pictorum pariter & Musarum Patronum.*

XXIII.

Non ego te, Luca, Pictorum maxime, pingam,
Non ego te, Vatum gloria magna, canam;
Te nec enim dignus qui pingeret, esset Apelles;
Nec te qui caneret, dignus Apollo foret.

D. LVCAS *Medicus idem ac Musarum Patronus.*

XXIV.

Non equidem Lucæ inuideo Pictoris honorem,
Inuideo Historici non ego grande decus.
At qui animos angit curis, qui corpora morbis,
Hic Medicæ laudis vix mihi dignus erit.

Aliud in idem.

XXV.

Dùm vigiles doctis juuat impallescere chartis,
Mœsta est assiduus nîl nisi vita dolor.
Non malè Pierides Medicum elegere Patronum;
Vt morbos idem qui tulit, ille leuet.

XVIII. OCTOBRIS.

S. IVSTVS *M. præcoci sapientiâ ornatus.*

I.

Anteit ætatem solito prudentia maior,
Et grauis in puero cernitur esse senex;
Tempore nam præcox virtus maturuit illo,
Quo vix in reliquis assolet illa seri.
Quos dabit hæc olim fructûs ætatula? cùm sit
Tàm bona sementis, quàm bona messis erit?

XIX. OCTOBRIS.

S. VARVS *M. discisso nouaculâ vtero moritur.*

I.

O Furor! ô cunctis scelus indelebile sæclis!
O feritas ipsis inficianda feris!
Vare tibi medium præacutą nouacula ventrem
Dissecat, & vasti pectoris antra cauat.

Ad ſuperas, virtus quò te vocat inclyta, ſedes,
Magnâ ingens animus debuit ire viâ.

A Cleopatra nobili fœmina, VARI *corpus templo tumulatur, in cuius officij mercedem filio orbatur.*

II.

Vare canum prædam te juſſerat eſſe Tyrannus,
Quâ ſuper in terris parte relictus eras:
Impediit Cleopatra nefas, templóque repoſtum
Funus honoratâ ritè ſacrauit humo.
Non retulit mater, retulit ſed præmia natus,
Materno abſtractus ſub caua buſta ſinu.
Quid quereris, gemebūda parēs, tibi pignus ademptum?
Officio merces plenior ipſa ſuo eſt.
Nîl Martyr potuit melius, nîl tradere maius;
Dùm ſoboli terras eripit, aſtra dedit.

XX. OCTOBRIS.

SS. CAPRASIVS & FIDES *Martyres, quorum ille huius exemplo ad Martyrium animatur.*

I.

CApraſius timido dùm transfuga lentus in antro
Conſtantis fidei conſpicit eſſe Fidem;
E latebris in aperta ruit, ſéque increpat vltrò,
Illa vir eſt, vir tu fœmina, dixit, eris.

S. CAPRASIVS *elicito è rupe diuinitùs fonte ad Martyrium inuitatur.*

II.

Si grata eſt tibi, Chriſte, mei vis fuſa cruoris,
Do jugulum ſacris victima vota tuis.
Ergo doce noſtrâne velis tibi cæde litari,
Fac, rogo, ſint animi, fac rata ſigna tui.
Si jubeas me, Chriſte, mori, precor, indice lymphâ,
Teſtis ab hoc manet protinùs vnda jugo.

Dixerat, & subitò per saxa liquentibus vndis,
Exiluit trepidâ fons fugitiuus aquâ:
Nec plura his, animo intrepido festinus ad aras
Dat sua barbaricâ colla secanda manu.
Protinùs insequitur patulo de vulnere sanguis,
Vulneráque irriguus tinxit hiulca cruor.
Quàm dispar it vterq; liquor, quàm discolor vnda!
Caprasius manat sanguine, fonte silex.

XXI. OCTOBRIS.

S. Hilarion *Abbas Plutonem curru inuectum ad inferos redire compulit.*

I.

Qvadrijugo inuectus curru phlegetontius Orci
Prædo, cauernosæ rupis in antra ruit:
Impauidúmque senem formidine terret inani,
Qui rhedam & vanos cum duce risit equos:
Námque furens spectrum, facto telluris hiatu,
Dicitur in nigrum præcipitasse chaos:
Ridendúmque suis iterùm se reddidit vmbris,
Venerat in nostram qui nouus hospes humum.
Persephonem rapiendam iterùm fortassè putabat;
At rediit vacuis currus inanis equis.

XXI. OCTOBRIS.

S. Malchvs C. *ad nuptias ab hero coactus aufugit, & defenditur à leone.*

I.

Ne peteres (nam fortis eras melioris amator)
Inuisos domino, Malche, jubente toros;
Clàm fugis, agrestúmque procùl nemorosa ferarũ
Securo tacitus lustra pudore subis.
At dominus rapit arma celer, famulúmque fugacẽ
Ocyùs exerto barbarus ense petit.

Nec priùs absistit quàm milite cinctus & armis,
Inuentam obsideat, quâ latet erro, specum.
Hic Malchus trepidare miser, pauidúsque sonorâ
Numen in auxilium voce vocare suum.
Et Deus oranti faciles accommodat aures;
Nam leo qui Vernam vindicet, vltor adest.
Aurea poma vigil quondàm seruauerat anguis,
Quæ tulit Hesperiæ virginis almus ager.
Poma fuere priùs vigilantis cura draconis,
Flos modò virgineus cura leonis erit.

Aliud in idem.

II.

Credidit ingenui nemus esse pudoris asylum,
Credidit, & rupis Malchus in antra fugit.
At virides non vna colit Latonia syluas,
Captat & hîc prædas insidiata Venus:
Nec solo instructus jaculo venatur, & arcu,
Sed sua sæpè etiam retia tendit Amor.
Retia lasciuus tibi, Malche, tetenderat auceps,
Dùm trepidus latebras sperat habere pudor.
Sed leo rex nemorum formidandúsque satelles,
Dissipat hostiles, nè capiare, dolos.
Inde verecundi nulla est cui cura pudoris,
Deteriorem ipsis se sciat esse feris.

XXI. OCTOBRIS.

S. VRSVLA V. & M.

I.

Quàm malè sæpè suis aptantur nomina rebus!
Vrsula cur dicta est, quæ magis agna fuit?

VRSVLA *inter sydera.*

II.

Fabula quid geminas super æthera collocat vrsas?
Vrsula stelliferum possidet vna polum.

De ipsius Anagrammate:
VRSVLA. LAVRVS.
III.

Cingite virgineos verno diademate crines,
Vrsula prostrato fortis ab hoste redit.
Illa triumphati domitrix generosa Tyranni,
Nobile vincentis nomen & omen habet.
Ergo suis Daphnona citi distringite ramis,
Vt meritum cingat Laurus honesta caput.
Sed quid adornandis lauros ego posco capillis?
Ipsa sibi victrix VRSVLA LAVRVS erit.

S. VRSVLA *Conneni Armoricæ Dynastæ nuptias respuit.*
IV.

Captus Aremoricæ Princeps fulgore puellæ,
Ire Dioneas sensit in ossa faces:
Et subitò, Cassum depone puella timorem,
Quod sponso sponsa est, hoc mihi, dixit, eris.
Hoc nunquam, Virgo inquit, ego, sponsalia nolo,
Prædo pudicitiæ tu potes esse meæ.
Ille refert, Gemini dispar datur optio teli;
Spicula vel tortor, vel sua mittat Amor.
Illa ait, Absit Amor, jaculetur spicula tortor;
Nam mihi dulcis erit tortor, amarus Amor.
Vix hæc: Barbaricis subitò volat acta lacertis,
Ire per immeritum jussa sagitta latus;
Sic nè Virgo mali jaculum pateretur Amoris,
Carnificis jaculum maluit illa pati.

Ad Hunnos S. VRSVLAE & SOCIARVM *VV. interfectores.*
V.

Impia gens hominum, duro quàm rupis in antro
Nutriit Hircanæ mamma ferina lupæ.

Hei mihi! quot Nymphas metitis, tot lilia crimen
Grande foret, vel tot subsecuisse rosas!
Antè quidem niueæ (numerosa caterua) puellæ,
Lilia, quàm ferro demeterentur, erant.
At postquàm intrepidæ proprio rubuere cruore
Lilia in æternas versa fuere rosas.

CHRISTVS *ad* D. VRSVLAM *&* *ad* SOCIAS.

VI.

O quæcúmque meos Virgo sectaris amores,
Quæque thori conjux virginis esse cupis!
Nec tibi diuitibus baccata monilia gemmis,
Nec mihi dotales quære, monemus, opes.
Dos est rara, pudor: dos est pulcherrima, virtus:
Hâc mihi, si desint cætera, dote places.

XXII. OCTOBRIS.

S. IOANNES BONVS C. *morbo afflictus resipiscit.*

I.

QVI priùs immodico Veneris flagrabat amore
Dùm valet, hanc odio, dũ fuit æger, habet.
Languit vtiliter, morbus tulit ipse medelam,
Nunquàm adeo sanus, si valuisset, erat.

Digitis infigit arundines, vt impuros motûs compescat.

II.

Vritur Idaliâ perculsus arundine, mores
Dictus ob ingenuos nomine jure Bonus:
Vritur, & Siculâ multò violentior Æthnâ,
Flamma penetratis serpit in ossa fibri.
Flammarum exitium, gelidos è nubibus imbres
Orat, at oratas non dabat imber aquas.

Telis ergo nouis tua tela, Cupido, repellit,
Et bellum insolitâ miles ab arte gerit;
Nam summos calamis figit fodicantibus vngues,
Vt procùl hoc fugiat victa dolore Venus.
Nec spes vana fuit, nam protinùs excita Cypris
Fugit in infamem non reditura Paphon.
Diue, tuæ dispar ab amore vibratur arundo,
Hæc Veneris flammas excitat, illa necat.

Ad D. IOANNEM BONVM.

III.

Vt Veneris vulnus fugias, te vulnere lædis,
Plagaque fit plagæ, Diue, medela tuæ.

XXII. OCTOBRIS.

S. CORDVLA *V. & M.* S. VRSVLAE *socia, metu perterrita fugit, sed fuga pœnitens, postridie Martyrium subiit.*

I.

Quæ priùs vndenis è millibus vna refugit
Cordula, Martyribus vult comes esse Choris.
Nunc jugulum exertat coràm, mortémq; precatur,
Defuerit numero quòd Soror vna suo.
Exprobret ignauæ latebras quis jure puellæ?
Abluit illa suum cæsa cruore scelus.

XXIII. OCTOBRIS.

S. SEVERINVS BOETIVS *amputatum sibi Theodorici Regis iussu caput, ad aram detulit.*

I.

ILle decus Musarum ingens, & gloria Pindi,
Quo nullum toto majus in orbe caput,
Occidit impacto ferientis acinacis ictu,
Et potuit tantum cernere Roma nefas!

Ergo necem passus, Regísque Boëtius iras,
Iam truncum cæso vertice corpus erat;
Ceruicem tantorum operum, tantæque capacem
Mentis, vtrâque ferunt sustinuisse manu;
Et longâ gestasse viâ venerabile pondus,
Inque aras flexo deposuisse genu.
Nimirùm mactata tibi quæ, Christe, litatur
Victima, non alio debuit esse loco.

XXIII. OCTOBRIS.

S. MACHARIVS *Romanus C. Orci ludibrio in syluis deceptus.*

I.

Vrbibus in mediis trepidat, qui cernitur ipsas
Inter sæpè pudor tutior esse feras:
Sed nullis quocúmque abeat, quocúmque recedat,
Virginitas tuta est prorsùs ab hoste, locis:
Dùm nouus intactæ sponsus fugit ora maritæ,
Cognita syluicolis fertur in antra feris.
Hîc geminos reperit catulos, matrémque jubatam,
Quæ vitâ catulis accubat orba suis.
Hanc tumulo infodit, sobolísque vicarius alter,
Sedula Marmaricæ munia matris obit:
Intereà miseris resonat nemus omne querelis,
Quas Acheron falsæ virginis ore ciet.
It Senior, motúsque vafræ plangore puellæ,
Admisit stygios in sua tecta dolos.
At postquàm infidæ deceptus imagine laruæ,
Nouit in exitium spectra parata suum;
In lacrymas pius hospes abit, Styx iuit in vmbras,
Inque fugam geminus cernitur ire leo.
Infelix Machari! tectíque ignare pericli,
Fœmineis posthàc credere parce dolis.
Qui scrobe depositam tumularas antè leænam,
Penè tibi fallax, lena, leæna fuit.

XXIV. OCTOBRIS.

S. FELIX *M. & Episc. Africanus.*
Quo tempore occisus est, Luna sanguinis colorem induit.

I.

ATtonito tortor dum te ferus eripit orbi,
Luna rubet subitis sanguinolenta notis.
Vnde priùs niueo color ille rubescit in astro?
Num quòd cœca tuo vulnere Luna dolet?

XXIV. OCTOBRIS.

Inter SS. NAGRANOS MARTYRES *puer quinquennis in rogum, in quo mater ardebat, insilit.*

I.

QVA Nagrana suas extollit in aëra turres,
Prætulit ingenium non puerile puer.
Vix benè tùm quinas numerauerat ordine messes,
Cùm decus in tenerâ prole virile fuit.
Tortor ait, Puer iste meo sine vulnere sospes
Viuat, & extinctâ matre superstes eat.
At puer ardentem dùm cernit in igne parentem,
In medios læto prosilit ore rogos.
Immoritúrque sinu matris, junctóque triumpho
Et puer, & pueri mater, in astra volant.
Roma, per immensum canitur cur Mutius orbem,
Qui fortem ardenti torruit igne manum?
Nam quæ præstiterat vegeti priùs integer æui
Scæuola, quinquennis pręstitit ecce puer.

XXV. OCTOBRIS.

S. CHRYSANTHVS *M. turpium Mulierculariarum conatûs lusit, clausis, eas nè videret, oculis.*

I.

PRædatura tui florem, Chrysanthe, pudoris,
Te Venus illecebris captat, Amórque suis:
Obijcis occlusos oculorum callidus orbes;
Sic Veneris nullo tactus ab igne cales.
Perge age, te tereti numquàm puer improbus arcu
Lęserit, hoc clypeo si modò tectus eris.
Nã cui bella mouet, non Mars, sed adultera Cypris,
Palmam, hostem qui non viderit, ille tulit.

Carcer quo Chrysanthus includitur, suauem odorem spirat.

II.

Eximiæ insoliti sunt hi virtutis odores,
Quos afflant pleno carceris antra sinu:
Scilicèt hoc latè spirat flos aureus horto;
Flos Martyr, carcer Martyris hortus erat.

XXV. OCTOBRIS.

S. DARIA *M. per leonem in fornice defensa.*

I.

Flebilis ad spurcæ famosa cubilia cellæ,
Innumeris rapitur cincta Daria procis:
Iámque procùl spectans olidũ lacrymosa lupanar,
Insiliat tumulo promptiùs illa suo:
Et, Quò tendis? ait, quin perdita viuere cessas?
An potes Idaliæ lustra subire lupæ?

O vtinam vixiſſe mihi priùs ipſa dediſſent
Fata, pudicitiæ quàm ſupereſſe meæ!
Dixerat, at medium vindex leo fertur in agmen,
Attonitóſque fugat, quà via facta, procos.
Horruit aſpectu ſubiti ſtupefacta leonis
Illa, nihil quamquàm, quod vereatur, habet.
Nam ruit vt trepidæ cuſtos foret ille Dariæ:
Ne timeas, cuſtos ille pudoris erit.
Tunc ait à tali defenſa ſatellite Virgo,
Non Leo, ſed nobis Leno timendus erat.

XXVI. OCTOBRIS.

S. EVARISTVS *Pontifex Maximus.*

Quo tempore inauguratus eſt ſummus Pontifex, celebre Iouis Vltoris fanum, miſſo diuinitùs igne, deflagrauit.

I.

DVm ſupremũ apicem ſacri conſcendis honoris,
Vltoris flagrant fana ſuperba Iouis.
Nam rutilo fax miſſa polo diuinitùs arſit,
Inque auidum vertit templa vetuſta rogum.
Præſide te rerum ſacro, ſua gaudia terris
Feſtiuus miſſo nuntiat igne polus.

XXVI. OCTOBRIS.

S. DEMETRIVS *M. cui è cœlo co[illegible] defertur.*

I.

Deſit digna tuis nè fortè corona triumphis,
Adfuit æthereo lapſus ab axe Puer;
Sed Puer æthereis longè formoſior aſtris,
Detulit aligerâ qui tibi ſerta manu.

Texere sydeream tibi debuit æthra coronam,
  Quid det par meritis indiga terra tuis?

Annulus DEMETRII *sanguine intinctus morbos fugat.*

II.

Lancea jam laceros Pugilis transfoderat artûs,
  Iámque rubescebat sanguine tincta chlamys.
Gestamen digiti prænobile diuitis, aurum,
  Imbuit effusus cæde recente cruor;
Morborúmque genus tactu fugat omne potenti
  Annulus, innumeris prompta medela malis.
Tingere purpureo, sacer annule, tingere succo,
  Ornari gemmâ nobiliore nequis.

XXVII. OCTOBRIS.

S. DESIDERIVS *Altissiodorensis Episc. à Christo in cœlum euocatur.*

I.

Peruigilas, ne fortè tuo subrepat ouili,
  Et lupus infirmas helluo raptet oues.
Tàm benè cùm fidus tua Pastor ouilia cures,
  Te bonus ad superum Pastor ouile vocat.
Ille suas agnoscit oues, hœdósque salaces
  Respuit, & partem non sinit esse gregis:
At postquàm suprema dies illuxerit orbi,
  Arserit & summo terra polúsque rogo;
Vnum erit vnius tantum Pastoris ouile,
  Vnus & vnius Pastor ouilis erit.

XXVIII. OCTOBRIS.

SS. SIMON & IVDAS *Apostoli, Fratres & Martyres.*

I.

PRocubuere pari Fratrum par nobile letho,
Præstitit & tantum Persica terra nefas:
Dùm negat hic Soli, cultum negat ille Dianæ,
Lumen vtrísque suum sydus vtrúmque negat.
Quàm benè mors rapit vna duos, quibus extitit
Vna parens, vnum pectus, & vna fides! (olim

Persas ad Fidem adduxerunt.

II.

Heroes gemini, vitiorum monstra fugastis,
Atque execrandos, numina ficta, deos;
Vósque nouæ Romæ Persas domuistis inermes,
Quos sibi non potuit Roma domare vetus.

XXIX. OCTOBRIS.

S. NARCISSVS *Ierosolymitanus Episc. vltra centesimum ætatis annum vitam produxit.*

I.

CVr teneros quereris citò deflorescere flores,
Et, quo nascuntur tempore, pene mori?
Cùm centum, & plures Narcissus vixerit annos,
Vitam hujus floris quis putet esse breuem?

Deficiente oleo lampadem accensam fouet aquâ iniectâ.

II.

Destitui absumpto lampas cùm cœpit oliuo,
Substituit flammæ pabula Diuus aquas.
Nîl modò non poterit fieri, nutrimen ab ipsis,
Præsulis imperio, si capit ignis aquis.

XXIX. OCTOBRIS.

S. Ermelindis.

Nè mortali ſponſo nubat, crines abſcindit.

I.

Tonſile dùm reſecas rutilantis verticis aurum,
Prouida nè capias, vel capiare, tīmes.
Nam dùm multifidos comit, ſua retia, crines,
His capit, his capitur ſæpè puella plagis.

XXX. OCTOBRIS.

SS. Zenobivs & Zenobia *Germani MM. ſecuri feriuntur.*

Ite comes fratríque ſoror, fratérque ſorori,
Et conſanguineâ ferte trophæa manu.
Subdite laurigeræ victricia colla ſecuri,
Supplicio merces additur apta ſuo.
Nam ſocias quibus ambo caput cingatis honeſtum,
Ecce ſibi lauros ipſa ſecuris habet.


XXXI. OCTOBRIS.

S. Volfrangvs *Ratiſponenſis Epiſcopus, quo prægnans Mater, viſa eſt ſibi in ſomnis ſtellam parere.*

I.

Tranquilli tua, Diue, parens ſub imagine ſomni,
Sydeream viſa eſt ſe peperiſſe facem.

Nec sua spes matrem decimo pôst mense fefellit,
Nam multâ radians luce coruscus eras.
Quæ te subripuit terris, mors intulit astris,
Illa suo sydus reddidit æqua polo.
Vel certè imparibus, rutilúmque minoribus astris
Indiguit cœlum sydere, terra dedit.





MENSIS NOVEMBER.

PRIMA NOVEMBRIS.

Festum OMNIVM SANCTORVM.

Ad Cœlites.

I.

STellantis Proceres Aulæ, gens ætheris alti,
 Quos beat exempto fine fruenda quies;
Laurigerâ portum quæ jam tetigere carinâ,
 Incutiet vestras nulla carina rates.
Quando erit vt vasti per mille pericula ponti,
 Nos vehat in portûs tuta carina suos?
Iam satis infidum dubij tranauimus æquor,
 Victrici portum sit tetigisse rati.
Mens mihi nauis erit, lacrymæ æquora, vota ruden-(tes,
 Temo timor, gemitus flamina, vela preces,
Anchora spes, malus pietas, suspiria remi,
 Pneuma notus, comites gaudia, vector amor.

I. NOVEMBRIS.

S. MARCELLVS *Episc. Parisiensis haustam è Sequana aquam, cùm vinum Sacrificio deesset, in vinum vertit.*

I.

Vix manibus contacta tuis in vina rubescit
Hydria, Sequanico quæ fuit hausta vado.
Hæc, Marcelle, tuæ vis est gratissima dextræ:
Antè dedit palmes, dat modò palma merum.

I. NOVEMBRIS.

S. GENESIVS *Episc. Lugdunensis datâ in dotem pecuniâ, Virginum pudori consulit.*

I.

Inclusam Danaen seruabat ahenea turris,
Et vigilum excubiæ murmura rauca canum.
Iuppiter in pretium versus fulgénsque metallum,
Virgineos subiit, diuite fraude, sinûs.
Tu pluuium fundis, Genesi, felicior aurum ;
Scilicèt ex isto nascitur imbre pudor,

Captiuos Christianos præsenti pecuniâ redimit.

II.

Christiadum impositis agmen venale catenis,
Strinxerat in longas dura catasta moras.
Tu, Genesi, pretióque dato, lytróque soluto;
Captiuas ferro soluis inerte manûs.
Cernite quàm dispar sit vis vtriúsque metalli ;
Quos fulua expediunt, furua metalla ligant.

Aliud.

III.

Diue, patent laxis tibi dura ergastula valuis,
Sint licèt innumeris robora septa seris.
Scilicèt has aperit feliciter aurea clauis,
Frangere quas nequiit ferrea claua fores.

I. NOVEMBRIS.

S. BENIGNVS *Sacerdos & M. in suos ciues beneficus.*

I.

Non ego te miror, miseris si ciuibus olim
Visus es auxilium ferre, Benignus eras.

Marcus Aurelius Imp. singulis eius digitis singulas ardentes subulas infigi iussit.

II.

Cur te Musa nouo subtilis acumine figat,
Diue, tuum celebrat dùm studiosa decus ?
Te nimiùm pupugit, nimiùm terebrauit acumen,
Quando fuit digitis subula fixa tuis.

Ad trochleas & fidiculas damnatur.

III.

Luxatum extendat quamuis tibi cochlea corpus ;
Nunquàm animo poterit par tamen esse tuo.

II. NOVEMBRIS.

COMMEMORATIO FIDELIVM DEFVNCTORVM.
De Tabella animæ in flammis expiantibus depictæ.

I.

CErnis vt ambustis facies hiet ignea labris,
Et stillam modicæ lingua precetur aquæ !

Vt ferruginei glomerata volumine fumi,
  Serpat in hirsutas lurida flamma comas?
Ima penetratis furit ignis in ossa medullis,
  Ignis vbique vorax, ignis vbique furit.
Fertur in indomitum jam lacryma serior ignem;
  Nam malè ploratas non timet ignis aquas.
Dùm licet, ah! veras tu, quisquis es, effuge flammas,
  Si flammarum oculos terret imago tuos.

III. NOVEMBRIS.

S. VENEFRIDA *V. & M. ante aras ad quas confugerat, à proco obtruncatur, quo in loco fons erupit.*

I.

CAsta domo Venefrida manet, tamen instat Amator
  Virginis infractam sollicitare fidem.
Illa, Breui, dixit, veniam tibi debita conjux;
  Da tamen ornatûs induar antè meos:
Hæc ait, inque sacrum festina recessit asylum,
  Templa profanato non adeunda pede.
Quid non aggreditur, qui pennâ instructus & arcu,
  Tàm grauis est tortor, quàm leuis ales, Amor?
Templum irrumpit Amans, ipsásque profanus ad aras,
  Sacrilegâ resecat colla pudica manu.
Et tanquàm foret icta simul cum virgine tellus,
  Immaduit virgo sanguine, fonte solum.
Scilicèt infleto jaceas nè, Nympha, sepulchro,
  Te lacrymis fleuit præfica terra suis.

IV. NOVEMBRIS.

SS. VITALIS & AGRICOLA MM. *inter Iudæorum tumulos sepulti sunt.*

I.

Sanguine purpureus Martyr tumulatur vtérque
Hîc vbi Verporum turba sepulta jacet.
Ne mirere tamen, Lector, sic horrida florent
Inter purpureæ sæpè vepreta rosæ.

Ad S. VITALEM.

II.

Postmodò perpetuos cùm sis victurus in annos,
Vitali meliùs nomine dignus eris.

De S. AGRICOLA *ad Lectorem.*

III.

Sementem Agricolæ si more peregeris antè
Prouidus, Agricolæ tu quoque more metes.

IV. NOVEMBRIS.

S. CAROLVS BOROMAEVS Pio IV. *affinitate coniunctus, in partem laboris Pontificij vocatur.*

I.

Participem tantorum operum te Magnus adoptat
Patruus, Ausoniâ qui sedet arce Pater.
Dùm nouus Alcides fesso succurris Atlanti,
Ferre orbem, solum te potuisse doces.

Suos milites Deiparæ imagine insigniri voluit.

II.

Virginis armatur magnæ tuus Icone miles:
Hoc clypeo nullus fortior esse potest.

Grassante pestilentiâ vitam suam in certum discrimen adducit.

III.

Sæua lues plenas viduat furialiter ædes,
Iámque hebeti Lachesis funera falce metit.
Tu vastam (tanta est majestas Præsulis!) vrbem,
Quanquàm pene fores vnicus, ipse reples.
At dùm defectis curas solatia rebus,
Publica sæpè tibi est insidiata lues.
Diue, tuis gregibus cùm vitam impenderis vltrò;
Aut nemo, aut Pastor tu bonus vnus eras.

Vt pestem famémque Mediolano auertat, iniecto in collum fune per vrbem graditur.

IV.

Dira fames auidè spatiosos pandit hiatûs,
Et solat vacuas pestis acerba domos:
Suppliciter graderis tristi per compita vultu,
Collaque contorto fune recincta ligas.
Reste quid hâc humeros, quid colla rudentibus (ambis?
Dignior alterius, Carle, monilis eras.

Plumbeâ glande frustrà impetitur.

V.

Explosum vomit horrisono cum murmure plũbum
Machina, Carle, tuum jussa ferire latus:
At graue barbarici scelus auersata furoris,
Vix tetigit summam glans venerata cutem.
Quod simul vt sensit, veniam sibi criminis orans,
Ante tuos visa est procubuisse pedes.

IV. NOVEMBRIS.

S. Florvs *Episc. Fide varijs in locis propagatâ, tandem ad Montem Planum, siue Indiciacum, cui dedit nomen suum, peruenit.*

I.

Montem Indiciacum Graiis digressus ab oris,
Dignus honorifico culmine, Flore, petis.
Debuit illustris virtus hoc stare theatro,
Pluribus vt fieret conspicienda locis.

Aliud.

II.

Nè dubita, quin sit Sanflorum vberrima tellus;
Non alio Florus tàm benè floret agro.

IV. NOVEMBRIS.

S. Emericvs *C. filius Regis Anglorum, Deo Deique Matri Virginitatem consecrat.*

I.

Dedicat intactos Superis Emericus amores:
Nam quid Cœlitibus gratius ille daret?
Est rosa, sydereæ sunt lilia grata Mariæ,
Et violæ, & verni cætera pompa soli.
Iunge simul casti florem, Mariane, pudoris:
Vnus præ reliquis floribus ille placet.

Emericvs *coniux virgo moritur, & in Cœlum transfertur.*

II.

Virgo parens superis Emericum inseuit in hortis:
Talia non meruit germina vilis humus.
Quicúnque elysios transferri ardescis in hortos,
Ah! caue nè Cypridis te malus afflet amor.

Nam si lasciuo Veneris marcescis ab æstu,
Te procùl abijciet virgine Virgo manu.

V. NOVEMBRIS.

S. ZACHARIAS *Propheta, nato filio, linguæ vsum recipit.*

I.

HÆserat attonito vox interclusa palato,
Et nullum poterat reddere lingua sonum.
Nascitur interea Soboles, sonitúmque recentem
Edidit insolito lingua soluta modo.
Conticuere omnes, Vatisque loquentis ab ore
Suspensi, auditis obstupuere sonis.
Quin etiam mea Musa tacet, dignóque canendis
Carmine prodigiis se negat esse parem,
Nempè tot impediunt portenta ingentia vócem,
Dúmque parens loquitur Musa modesta silet.

In illud Ioan. 1. *Ego Vox clamantis in deserto.*

II.

Cur puero nascente patri vox redditur? inquis;
Publica, si nescis, Vox erat ille puer.

Ad D. ZACHARIAM.

III.

Os mutum tibi, Diue senex, & inertia linguæ,
Pœna recusatæ credulitatis erant.
At puer exoriens vocis tibi reddidit vsum:
An sileas postquàm vox, pater, orta tibi est?

VI. NOVEMBRIS.

S. ANDREAS *Fundanus Episc. cuiusdam mulierculæ amore penè captus, omnes fœminas à suis ædibus procùl amandat.*

I.

PRæsul Acidalio propè jam deceptus amore,
Nostrũ, inquit, celebret fœmina nulla larem.

Sic, ait, & vetito procùl omnis fœmina tecto,
Omnis abit vetitâ pulsa puella domo.
Qui neque vult vri, neque vult fuligine tingi,
Fœmineos fugiat, blanda pericla, choros.
Ignis edax & dulcè nocens, formosa puella est:
At fumo semper proximus ignis adest.
Sit procùl à vobis, Mystæ, Venus omnis: iisdem
Non benè sub laribus Mysta Venúsque manent.

VII. NOVEMBRIS.

S. Engelbertvs *Coloniensis Episc. & Martyr, quo nefariè occiso gemina luna in cœlo conspicitur.*

I.

Engelbertus obit numeroso saucius ictu:
Tanta est sæuities, tantus in hoste furor.
Protinus illustri fulgescere cœpit olympo,
Æthereas augens luna gemella faces.
Martyr enim, superis clarum decus additus astris,
Fulget in empyreo fax radiata polo.
Credere posteritas nè rem ventura laboret,
Ecce nouum rutilo sydus in axe micat.

Quadraginta plagis confossus obit.

II.

Cur toties repetita perit per vulnera Martyr?
Námque quater decies saucius ense cadit.
Exeat hospitiis ingens vt corporis hospes,
Ianua tantæ animæ non satis vna patet.

VII. NOVEMBRIS.

S. FLORENTINVS *Episc. Argentinensis Regem Dagobertum allocuturus, solis radio vestem suam suspendit.*

I.

Florentine, tuos humeris deponis amictûs,
Liber vt alloquium Regis, & ora petas:
Nec fulcrum, nec seruus adest, cui pallia credas;
Iámque tuas onerat sarcina longa manûs.
Fortè per angustas tenuissima rima fenestras
Admisit tremulum sole vibrante iubar.
Solis ab hoc radio grauidam suspendis abollam;
Et noua paxilli munia Phœbus agit,
Diue, iubere alios poteris procùl esse ministros:
Sol tibi pro famulo, cùm feret vsus, erit.

VIII. NOVEMBRIS.

QVATVOR CORONATI *fratres MM. belluis à Diocletiano expositi.*

I.

Heroës periere pari, gens inclyta, letho;
Quos vtero peperit quattuor vna parens.
Esse feris Diocles, canibúsque voracibus escam
Iusserat immiti corpora cæsa nece.
Execrata nefas venerabile funus adorat
Bellua, nec posito pascitur vlla cibo.
Cùm procùl humanis pietas à sensibus absit:
Fallor; an in rabidas transiit illa feras?

IX. NOVEMBRIS.

S. Theodorvs M. *delubrum Cybeles incendit.*

I.

FAnum vſſit Triuiæ Balatro, dùm nominis optat
Immortale ſibi conciliare decus.
Sed fruſtrà; nam tùm muta execrabile nomen,
Quæ fuerat ſemper garrula, fama premit.
Delubrum incendis Cybeles, Theodore; decúſque
Nominis æternum, quod petit alter, habes.

IX. NOVEMBRIS.

Commemoratio Crvcifixi *Berythenſis gladio à Iudæis impetiti.*

I.

Rursùs in hâc, ô Apella ferox, quid imagine ſæuis?
Ah! patribus ſatis eſt id licuiſſe tuis!
Improba Verporum ſoboles, jam parce ſepulto;
Durus in exanimes non ſolet ire furor.
Irrita ſed moneo: nam tortor atrociter inſtat,
Quadrifidæque fodit pondera ſacra trabis.
Deliraſſe ſuo nè fortè putetur ab ictu,
Fluxerunt vnâ ſanguis & vnda viâ.
Tàm benè cùm certâ iaculans collineet haſtâ;
Dicite, cur cæcus fingitur eſſe furor?

Ad Christvm.

II.

Vt priùs Archetypum, modò dilaniatur imago;
Scilicet Archetypum, nè violetur, abeſt.
Cùm jam vera pati nequeas, in imagine fictâ
Pro nobis iterùm vis, puto, Chriſte, mori.

X. NOVEMBRIS.

SS. TRIPHON, RESPICIVS & NYMPHA *MM.*

I.

BIs-gemini Heroes, ſacro fortiſſima bello
Pectora, quos animi feruor ad arma rapit:
Addita Nympha comes vobis, ne longiùs erret,
Qui robur ſexûs vnius eſſe putat.

S. TRIPHONE *orante Iouis ſimulachrum corruit.*

II.

Debilis euerſâ ruerit cùm funditùs arâ;
Quis modò Statorem dixerit eſſe Iouem?

Ad TRIPHONEM, *cuius latera lampadibus aduruntur.*

III.

Exurit flammante latus tibi lampade tortor,
Vſque adeò in pœnas ingenioſus erat!
Decurſæ ad metam virtutis vt ocyor ires,
Admotæ lateri te pupugere faces.

X. NOVEMBRIS.

S. TIBERIVS *M. quem tortor feris obijcit, pater lupanari includit.*

Plûs-nè tibi noceat Genitor, tibi plûs-nè Tyrannus;
Non ſatis in dubium res reuocata liquet.
Vt Genitor ſine more furit, ſine more Tyrannus,
Blanditiis Genitor pugnat, & iſte minis.
Lenoni te, Diue, parens, tortórque leoni
Obijcit; hoſque tibi vellet vtérque truces.

Tu

Tu tamen & Paphias, blandita pericula, fraudes,
Et rabidas vincis dispare laude feras.
Namque tibi minor est Libycos superare leones
Gloria, lasciuas quàm superare lupas.

X. NOVEMBRIS.

S. THEOCTISTA *V. cuius mortuæ manum cùm Venator abscidisset, non nisi hâc restitutâ è portu soluere potuit.*

I.

Dum ceruos Venator agit, damásque fugaces,
Festinóque ruit per nemus omne gradu:
Dúmque vagos oculorum orbes huc jactat & illuc,
Corpus in exanimum Virginis ora tulit.
Illa feras inter, nemoralibus abdita lustris,
Vixerat æthereis non nisi nota Choris.
Accurrunt, pia turba, canes, & supplice gestu,
Sacra recuruato lipsana crure colunt.
Virginis exanimem Venator acinace dextram
Amputat, & prædæ diuitis instar habet.
Cúmque ratem repetit ventis sua vela daturus,
Hæret in immoto pigra carina vado.
Et neque remigibus (remos nam turba fatigat)
Et neque ventorum flamine mota cedit.
Quæ mora, quæ remora hærentem tenet abdita na-
Hanc tenet vnius Virginis vna manus. (uem

XI. NOVEMBRIS.

S. MARTINVS *Turonensis Episc. suâ se veste adhuc Miles exuit vt egenum indueret.*

I.

ROmuleas dum tyro Aquilas & castra secutus,
Primaque Pannonius miles in arma venit:

Dúmque datis camporũ æquor permensus habenis,
   Sternacem armatâ calce fatigat equum:
Ecce tibi nudum squallorem ostentat egenus,
   Oraque cecropiis pallidiora fauis:
Protentâque manu tenuem miserabilis Irus
   Et dextrâ, & linguâ supplice poscit opem.
Ter, quater excussus loculus pia vota fefellit,
   Nam vacuus nullo tinnulus ære sonat.
Non tulit hoc animis Miles, chlamydémq; rotato
   Protinùs in partes dissecat ense duas.
Partem inopi generosus Eques largitur, & omnem,
   Si cui det liceat scire, daturus erat.
Nam cùm dimidiâ tectum te Christe videret,
   Dimidiæ partem nollet habere togæ.

Ad D. MARTINVM.

II.

Se tibi pannoso Christus sub tegmine sistit,
   Et rogat exiguam voce manúque stipem.
Quid facies? nullo tibi zona tumescit ab auro;
   Vendere te cupias ipse; sed emptor abest.
Quos geris, ex humeris raptos partiris amictûs:
   Tu mediâ, mediâ se tegit ille togâ.
Proh Superi! quantas toga longa necesse sit vlnas,
   Immensum cuius pars tegit vna Deum.

D. MARTINVS *media vestis parte cœlum emit.*

III.

Parte sagi præparcus Eques sibi comparat omnem
   Æthera; non poterant astra minoris emi.
Si tamen hoc pretio rursus venalia perstent
   Sydera, vix emptor, qui licitetur erit.

Deipara sanctas inter Theclam *&* Agnetem D. Martino *se videndam exhibet.*

IV.

Thecla latus cingit, cingit quoque Virginis Agnes,
Dùm stetit ante oculos, Diue, videnda tuos.
Hæc formosa tibi cùm se spectacula pandunt,
Vnam bina inter lilia cerne rosam.

XII. NOVEMBRIS.

S. Martinvs *Pontifex Maximus & M. quem sacris operantem ad aram Virginis, dum lictor necare aggreditur, repente fit cæcus.*

I.

Virginis obiecit jugulum Martinus ad aram,
Quíque priùs Pastor, victima penè fuit.
Non tamen id sceleris tortor tentauit inultus,
Námque premit sontem pœna secuta comes.
Qui tentat, Martine, tibi furialibus ausis
Vsuram lucis tollere, luce caret.

XII. NOVEMBRIS.

S. Menna *strenuus Christi Athleta.*

I.

Sanguine, non oleo fortes perfunditur artûs,
Prælia dum Fidei miles & arma gerit.
Auspice qui Christo, valido luctatur agone,
Hoc ceroma sibi postulat esse Pugil.

Quâ Martyr erat transiturus ferrei murices sparguntur.

II.

Muricibus via tota tibi consternitur vncis:
Ocyor his stimulis incitus astra petes.

XII. NOVEMBRIS.

S. CVNIBERTVS *Coloniensis Episc. cuius sacrificantis caput columba è cœlo ambire visa est.*

I.

Præsul adorandas sacris operatus ad aras,
 Dùm litat æterno liba verenda Deo,
Ecce repercutiens volitantes leniter alas,
 Ambiit attonsum pura columba caput.
Sit procul hinc trifidi gestatrix fulminis ales,
 Cæsareis olim visa sedere comis:
Alituum reliquas inter, Cuniberte, cohortes,
 Moribus est volucris concolor ista tuis.

XIII. NOVEMBRIS.

S. HOMOBONVS *C. dato egenis, quod vineæ fossoribus deferebat, vino; infusam cado aquam in vinum vertit.*

I.

VInitor expectat pactæ sibi vina lagenæ,
 A te sub medium, Diue, ferenda diem.
Obuius est tibi cœtus inops, vinumque poposcit,
 Et sitiens, vinum quod sibi poscit, habet.
Iam cadus à bibulis aret siccatus egenis;
 Iam leuis exhaustum non habet orca merum.
Ast infusa cado, querulísque oblata colonis,
 Transiit in Bacchum, quæ modò Thetis erat.
Quid vanus tua, Diue, labor vineta fatigat,
 Si tibi gratuitum sponte fit vnda merum?

Cùm noctu accedebat ad Templum, clausæ fores ei sponte patebant.

II.

Vrbe silent totâ, claróque micantia cælo
Sydera, nocturnis Luna pererrat equis.
Intereà properas ad clausam Numinis Ædem,
Móxque tibi verso janua poste patet.
Quis neget acceptum Regi, cui protinùs Aula
Sponte suâ patulas pandit aperta fores.

XIII. NOVEMBRIS.

S. MAXELLENDIS *V. & M. quam cùm procus obtruncasset, subitò excæcatur.*

I.

Dùm tibi lucem adimit, Virgo, furiosus amator,
Lucem oculis captus sensit abesse suis.
Cur tamen admisso dedit hanc pro crimine pœnã?
Nè sit vana dehinc fabula, cæcus Amor.

XIV. NOVEMBRIS.

S. LAVRENTIVS *Episc. Dublinensis triginta egenos quotidie ad mensam adhibet.*

I.

TErdeni tibi quaque die numerantur egeni,
Quos socios mensæ vidimus esse tuæ:
At modò sydereis conuiuere iussus alumnis,
Pleno delicias ætheris ore trahis.
Dignus hic æthereis conuiua recumbere mensis,
Qui sibi conuiuas quærit habere pares.

Post eius obitum lux immensa effulsit.

II.

Hîc vbi, Laurenti, moreris, lux posthuma fulsit:
Sol vel in occasu fulgidus esse solet.

XV. NOVEMBRIS.

S. ABIBVS *M. post varia tormenta tandem in ignem coniicitur.*

I.

ET laceros artûs & hiulca immaniter ora,
(Præstitit id crudus tortor) Abibe, geris.
Nè tanti super vlla forent monimenta furoris,
Esca voraturis traderis esse rogis.
Non tamen in cineres flammis consumptus abisti;
Nam sua Phœnicem nunc quoque busta nouant.
Mulciber abstulerat quicquid populabile flãmâ est,
Terrenæque super nîl tibi fæcis erat:
Vtque petit domitis Tirinthius æthera flammis,
Herculeâ pariter scandis in astra viâ.

XVI. NOVEMBRIS.

S. EDMVNDVS *Cantuariensis Episc. amorem in Deiparam suum dato annulo testatur.*

I.

EDmundus rutilo iuuenis pretiosior auro,
Rara Caledonij gemma nitórque soli;
His pignus, quo ritè suos consignat amores,
Imperat ad Mariam protinus ire sonis.
Annule sydereæ dextram vincture Patronæ,
Tu nota perpetui certa Clientis eris:
I velox, digitóque tenax constanter inhære,
Orbiculo sacram circumeunte manum.

Vtque reuerſurum ſine fine recurris in orbem,
Sic meus exempto fine perennet amor.

D. EDMVNDVS *ad eundem Annulum.*

II.

Annule perpetui reuolubile pignus amoris,
Annule virgineæ parua corolla manûs;
Paruus es,& magnus,neq; enim diſſentit vtrumque:
Paruus, at in dextra virgine magnus eris.
Te manus aurificis tenuem lunauit in orbem,
Virgo tuum toto ſparget in orbe decus.
Dummodò ſydareâ rutiles, breuis annule, dextrâ,
Dummodò ſis digiti dulce ferentis onus;
Nîl opus eſt vacuam gemma impleat altera palmā:
Illa manus gemmæ nobilis inſtar erit.

Annulum quo fidem ſuam Parenti Virgini obſignâ- rat, ſecum ſe peliri iuſſit.

III.

Supremâ morientem animam iam luce trahebas,
Deplerátque ſuam iam tibi Parca colum:
Tu quæ Virginei fuit obſes honeſta pudoris,
Sit tumulo,mandas,gemma repoſta tuo.
Nec mora quo tegitur buſto ſepelibile corpus,
Hoc pariter viſa eſt pronuba gemma tegi.
Sic poſt fata etiam viuit ſacer ardor amoris,
Suppoſitóque calet poſthumus igne cinis.
Finiit extremam tibi mors placidiſſima vitam,
Non tamen illa tui finis amoris erit.

Semel atquè iterum crucem oſculatus in Chriſti ſinu expirat.

IV.

Extremos fugiente anima ſuper halitus errat,
Víxque breues numerat iàm tua vita moras:

Nota tibi objicitur Christi morientis imago,
Atque datur manibus, Diue, terenda tuis.
Oscula mille labris libas, mille oscula plantis;
Oscula mille oculis, oscula mille genis:
Deponísque tuam sub hiulco pectore vitam;
Dic age, quis tumulus dulcior esse potest?

XVI. NOVEMBRIS.

S. EVCHERIVS *Lugdunensis Archiepisc. suaui scribendi facultate præditus.*

I.

Intingunt alij calamos loligine nigrâ;
Quo tuus imbuitur, dulce mel esse puto.

EVCHERIO *Galliarum Primate, ambæ eius filiæ Deo dicatæ in sacro Parthenone latent.*

II.

Dùm meriti Eucherius fastigia scandit honoris,
Primitio iussus Præsulis esse loco:
Filia sub sacrò latebras amat vtraque velo,
Nimirùm quando sol nitet, astra latent.

XVII. NOVEMBRIS.

S. GREGORIVS THAVMATVRGVS *Neocæsariensis Episc. vt Templo ædificando locum faceret, montem aliò transfert.*

I.

AN rursùm Enceladus jaculatur in aëra mõtes?
Rursùs an impositum Pelion Ossa feret?
Scrupea condendæ rupes ne obsisteret Ædi,
E natalitio cessit abacta loco.

Illa tuæ, Præsul, sunt iussa potentia vocis,
  Nam dextræ vllius non fuit illud opus.
Non ego te vastis conferre Gigantibus ausim;
  Viribus Ægæon est minor ipse tuis.
Impare conatu montes iactatis vterque;
  Tu solis vsus vocibus, ille manu.

GREGORII & *Amphionis fides potens.*

II.

Quis nouus Amphion validæ molimine vocis
  Eruit ex imo saxa reuulsa solo?
Gregorij hoc opus est, vacuas qui iactat in auras
  Montis onus, pulsæ mobile more pilæ.
Causa vtriúsque fides, nam saxa immania mouit
  Hic Fidei fretus viribus, ille fidis.

Lycum fluuium exundantem fixo in ripâ scipione repressit.

III.

Iam Lycus oppositas fracto ruit aggere moles:
  Iam pereunt hominum, iam quoq; facta boum.
Nare priùs solitum summâ pecus hæret in vlmo,
  Fixit vbi luteos plumea turba lares.
Virga tamen fluctûs ripæ depacta repressit,
  Vix benè contacto visa virere solo.
Nemo mihi æquorei iactet miracula sceptri;
  Hic baculus trifidâ cuspide maior erit.

Ad D. GREGORIVM.

IV.

Immemor acceptæ legis cursúsque modesti,
  Flumen in vndantes exspatiatur agros.
Tu cursum antiquum reuocas, fluuiúmque tumentē
  Limitibus cogis currere, Diue, suis.
Te magnorum operum Deus in consortia poscit:
  Tu fluuiis legem ponis, & ille mari.

XVIII. NOVEMBRIS.

S. ROMANVS *M. etiam abſciſsâ linguâ Chriſtum loquitur.*

I.

NI ſileat Fideſque loqui myſteria ceſſet,
Cúmque ſuo vanum dicere Marte Iouem;
Protinus exciſis radicitùs eruta fibris
Quod dare lingua negat ſponte, coacta dabit.
Sic lictor tonat ore minax; at ſcommata Martyr
Iactat in infames liberiora deos.
Adduntur ſua facta minis, linguámque reuulſam
Stirpitùs, extemplò barbara dextrâ trahit.
Elingui licèt ore foret, tamen vſque tenacem
Clariùs elingui nuntiat ore Fidem.
Tàm benè quæ memorat diuinæ oracula legis,
Debuit hæc etiam lingua reſecta loqui.

Aliud.

II.

Quæ cauſam euicit muto defenſa patrono,
Romani inuictam quis neget eſſe fidem?

Aliud.

III.

Inuicti Herois ſortem ne crede dolendam;
Integer eſt animo, ſit licèt ore lacer.

Cremari iuſſus tardos buſtuarios ignauia damnat.

IV.

Paſſurus flammarum æſtum Romanus edacem,
Tortorum ignauas increpat vſque moras:
Dúmque rogis ardere ardet rapidiſſimus ignis,
Quo nihil eſt leuius, creditur eſſe piger.

XVIII. NOVEMBRIS.

S. BERVLA *M. puer cùm esset, flagris cæditur.*

I.

Cur Berulam ætatis teneræ fera taurea cædit?
Flagra decent puerum: se probat ille virum.

XIX. NOVEMBRIS.

S. ELIZABETHA, *Vidua, filia Règis Hungariæ, spretis prioris vitæ deliciis totam se Cruci Deoque consecrat.*

I.

PEndentẽ infami dum cernis ab arbore Christũ,
Hæc dare verba tuus iussit, Elisa, dolor.
Telluris sordentis onus, me coccina velant:
Ipse tuo tinctus sanguine, Christe, rubes.
Stemma mihi rutilum gemmis radiantibus ardet;
Serta tuum cingunt sentibus hirta caput.
Dúmque ego puluillos, & picta tapetia calco;
Quæris vbi capitis triste recumbat onus.
Ordine me longo famulantûm turba coronat:
Christe, tuum stipant hostica turba latus.
Vos, Superi, prohibete nefas, ne mollia posthàc,
Sub tam spinoso vertice membra geram.
Nam neque fas, neq; iura sinunt, rerũ ordine verso,
Vt tibi sint spinæ, sint mihi, Christe, rosæ.
Quo potero squallore, tuos imitata dolores
Dicar, & hæc vitæ tempora tristis agam.
Ah! facies nullo rubeat miniatula fuco:
Me meliùs Sponsi sanguine pinget amor.
Ite procùl rutili, Regum nitor, ite pyropi:
Nobilior poterit sub Cruce gemma legi,

Nec nostrum diadema caput de more coronet,
Spina mihi laceras ambiat vnca comas.
Tollite sutilibus variata tapeta figuris,
Crux mihi, quo recubem, postmodò lectus erit.
Nec comitum mihi turba latus numerosa fatiget,
Sit famulus mœror, sit mihi verna, dolor.
Vtque gemit socio viduata Columba Columbo,
Sola gemam viduo, sic ego Sponsa toro.
Sic ait; & pedibus generosa subegit Amazon,
Quicquid terrarum maximus orbis habet.
Sæpe mares animos imperturbata Virago,
Fœmineos animos vir quoque sæpe gerit,
An scelus, an feritas, an mollia facta virorum?
An pietas sexûs deterioris erit?
Ah! pudeat mutare vices, maribúsque puellas,
Et nos fœmineis sensibus esse viros.

S. ELIZABETHA *post obitum suauem odorem afflauit.*

II.

Pannoniæ prælustris honos & gloria terræ,
Quæ vicisti animi nobilitate genus:
Te tumuli probat esse nouum fragrantia florem;
Exciso remanet germine floris odor.

XIX. NOVEMBRIS.

S. BARLAAMVS *M. cuius dextera ignis & thus impositum est, vt diis sacrificare videretur.*

I.

Et dextræ imposuit prunas & thura Tyrannus:
Ritè aram Pugilis sic facit esse manum.

Aliud.

II.

Dextera, Diue, tibi fragrat, tibi dextera flagrat:
Suffitu fragrat thuris, & igne flagrat:

XX. NOVEMBRIS.

S. EDMVNDVS *Angliæ Rex M. cuius caput à Iugare Daniæ Rege amputatum lupus tutatus est.*

I.

MOrtem, Edmunde, tibi furiis agitatus iniquis
Iam duro intulerat perfidus ense Iugar.
Abiecti dumeta inter siluestria, custos
Præclarus capitis cernitur esse lupus:
Dúmque cauâ funus tumulandum effertur in vrnâ,
Exululat totâ bellua mœsta viâ.
Nempè feræ rabiem moréſque imitante Tyranno,
In placidâ feritas desiit esse ferâ.
Fertur in ora lupi quondàm transisse Lycaon;
Nunc hominum in mores transiit iste lupus.

XXI. NOVEMBRIS.

PRAESENTATIO BEATAE MARIAE VIRGINIS.

I.

VIx benè tres numerat Virguncula trimula bru-
Vix bene materno cessit alumna sinu: (mas,
Templi adytum, placitásque petit perniciter aras,
Victima placando non inhonora Deo.
Sumite cœlestes habitantia Numina sedes,
Sumite quod nostro maius in orbe fuit.
Námque suo latè quæ continet omnia gyro,
Terra nihil maius quod dare possit, habet.

Ad DD. IOACHIMVM & ANNAM.

II.

Anna parens, seniórque pater, quibus aurea cæli
 Sydera felici prole dedere frui:
Non erit hæc vestri generis postrema propago,
 Parturiet fructûs flosculus iste suos.
Vestra licèt nullis sociata cubilibus, ambos
 Vos faciet magni Nata Nepotis Auos.
Vnicus ille quidem, tamen vnicus ille futuros,
 Et qui sunt superat, quique fuere, viros:
Et nusquàm annorum per tot vaga sæcula, Natus
 Maior erit, maior Filia, major Auus.
Vósque eritis vestrâ tantummodò Prole minores,
 Vestra suâ Proles Prole futura minor.

XXI. NOVEMBRIS.

S. COLVMBANVS C. *spretis matris minis & blanditiis ad Christi militiam tendit.*

I.

Dilaniat mater sparsos sine lege capillos,
 Infestâque caput tundit anile manu:
Et, Quæ causa fugæ? clamat; quis, Nate, dolentis
 Postmodò solamen dulce parentis erit?
Hæc & plura refert, voces dictante dolore,
 Nunquàm turbidior visa fuisse parens.
Tu tamen intrepidus per amica pericula victor
 Effugis, & Christi miles ad arma volas.
O! quas te memorem media inter prælia lauros
 Carpere, si palmam vel fugiendo refers!

XXII. NOVEMBRIS.

S. CAECILIA *V. & M. iam nubilis corpus cilicio domat.*

I.

IAm dotem tædásque parat, iàm flammea mater,
  Tibia iam carmen connubiale canit.
Cæcilis hirsuto stringit sibi corpus amictu,
  Hæc quoque Virgineis cœtibus arma decent.
Scilicèt illæsi studiosa puella pudoris,
  Prouida legitimos hâc parat arte toros.
Virginitas vt tuta suo seruetur ab hoste,
  Astringi zonâ nobiliore nequit.

CAECILIA *Angeli aspectu, Angelus Cæciliæ cantu capitur.*

II.

Cæcilis Aligerum fixis aspectat ocellis,
  Visa verecundo Cælitis ore capi.
Cæcilin auscultat pariter cœlestis Ephebus,
  Dùm vocale manu præpete pangit ebur.
Dispariles, pariles-nè vocem? capiuntur vtérque:
  Illa suis oculis; auribus iste suis.

Euangeliorum librum in sinu gestat.

III.

Credita nobilibus diuina oracula libris,
  Condis in arcano cauta puella, sinu,
Quis modò Palladias Sophiæ tibi deneget artes?
  Cor pluteus, pectus bibliotheca tuum est.

Aliud.

IV.

Quàm tibi sint cordi sacrata volumina, monstras?
Hæc cùm sub medio corde locanda putes.

Triplici vulnere saucia moritur.

V.

Vulnere tergemino ceruix fuit icta Puellæ:
Icta quidem, sed non victa Puella fuit.

XXIII. NOVEMBRIS.

S. CLEMENS *summus Pontifex, ad cuius preces Agnus fontem pede elicuit.*

I.

SAcrorum Antistes summus, cui nobilis album
Infula tergemino cinxit honore caput:
Euxini procul exul abit trans æquora Ponti,
Visus vbique sui nominis esse memor.
Nam nullus cùm rura liquor, faucésque rigaret,
Aruaque torreret Syrius, ora sitis:
Pronus humi geminas tendens ad sydera palmas
Supplicat, & riguæ munera poscit aquæ.
Vix benè supplicibus pulsauerat æthera votis,
Finierátque suas vix benè lingua preces:
Ecce tibi insolitum, & cunctis lætabile monstrum,
Effossam pedibus sufficit Agnus aquam.
Credula gens Vatum, fallíque & fallere docta,
Bellerophonteum quid celebratis equum?
Elicuit volucri nullos equus vngue liquores:
Agnus erat placitas qui pede fodit aquas.

Ad D. CLEMENTEM.

II.

Et fitit, & facræ purgari aſpergine lymphæ,
Quæ te circumſtat, plurima turba petit.
Nè deſint quibus ora riges, & crimina luſtres,
Dat famulas geminis vſibus Agnus aquas.

Ad Tortorem, qui appensâ ad collum anchorâ Diuum CLEMENTEM *in mare deiicit.*

III.

Prægrauis innocuum cur deprimit anchora collũ?
Alterius ceruix digna monilis erat.
Quæ merſura ſuo tibi pondere viſa natantem,
Hæc erit in mediis anchora ſuber aquis.

Aliud.

IV.

Non hâc mole Fides quatitur, quæ pendula collo
Martyris, in medias æquoris iuit aquas.
Scilicet vt feſſas firmat grauis Anchora naues;
Anchora ſic ſolidam fulciit iſta Fidem.

XXIII. NOVEMBRIS.

S. CLEMENS *Epiſc. Metenſis fato functum vita reſtituit.*

I.

Indignum mors auſa nefas, tibi, Diue, ſodalem,
Tollit, inexpletam falce ſecante colum:
At paſtoritio corpus quo tangis inane,
Territa Parca procul ceſſit abacta pedo.
Quis modò tàm timidæ paueat formidine mortis,
Quæ baculo leuiter percutiente fugit?

XXIII. NOVEMBRIS.

S. Felicitas *M. postquàm septem filios confirmasset in Fide, Martyrij coronam ipsa adepta est.*

I.

Pignora quæ septem peperisti corpore mater,
Hæc iterùm septem pignora mente paris.
Dúmque omnes vno moriuntur funere Nati,
Quæ mox passura es corpore, mente subis.
Mater iô felix, iô felicissima Martyr!
Bis paris, & binâ morte perempta cades.

Aliud.

II.

Fortunata nimis, pareres dùm pignora mater,
Fortunata magis, dùm morerentur, eras.
Nam matrem soboles, quam tu præmittis Olympo,
Te nascendo minùs, quàm moriendo probat.
Reddiderat reliquas sobolis genitura parentes,
At tu Natorum morte vocanda parens.

XXIV. NOVEMBRIS.

S. Chrysogonvs *M. qui iacitur in mare mortuus.*

I.

Frustrà Chrysogoni cineres iaciuntur in æquor;
Eluitur nullis tàm graue crimen aquis.

Ad D. Chrysogonvm.

II.

Aureus est, longéque ipso pretiosior auro,
Si tamen auro aliquid ditius esse potest.

At tua qui duro fodit præcordia ferro,
Ferreus; aut ferro durior ille fuit.

XXIV. NOVEMBRIS.

S. FIRMINA *V. & M. ad cuius amplexum cùm extenderet procus brachia, obriguerunt.*

I.

Iacturam passura sui Firmina pudoris:
Heu! thalamo Veneris victima clausa dolet.
Quid faciat? quibus vsa dolis Virguncula certet?
Qua fuget arte auidum flebilis agna lupum?
Exhibet illa preces cælo, miracula cælum;
Castaque virginibus militat æthra suis.
Nam quas Firminæ collo circumdat amator,
Protinus enerues obriguere manus.
Illum saxificæ vultus vidisse Medusæ,
Brachia dum nequiit vincta mouere, putes.
Ah! caue, quisquis is es, sponsâ qui Numinis ambis,
Riualem nocuit semper habere Deum.

XXV. NOVEMBRIS.

S. CATHARINA *V. & M. rotâ torquetur.*

I.

THesbites non vnus erat, quem turbinis instar
Intulerit patulo flammea rheda polo:
Nam quibus est rabidi iussu districta Tyranni;
His Catharis consors fertur ad astra rotis.

Ex eius plaga lac fluxit pro sanguine.

II.

Mors vitæ fuit apta tuæ: Num debuit esse
Lactea mors, cuius lactea vita fuit?

Lac D. CATHARINAE *virgineum.*

III.

Lac ſignum in reliquis læſi ſolet eſſe pudoris ;
In te ſeruati, Virgo, pudoris erat.

Diua CATHARINA *Martyr incruenta.*

IV.

Sit licet effuſo nullus ſine ſanguine Martyr ;
Hæc non effuſo ſanguine Martyr erit.

Ad D. CATHARINAM.

V.

Cæſaris imperio meſſor, Catharina, ſatelles
Abſtulit ex humeris colla reſecta tuis.
Miratur ſtupefacta cohors, tibi ſanguine nullo
Ceruicis nitidas erubuiſſe niues.
Criminis vt pudeat, factæque in Virgine cædis,
Debuit in vultu Cæſaris eſſe rubor.

Aliud.

VI.

O Virgo ! quam te memorem ! te-ne eſſe puellam ?
Te-ne licet matrem dicere, te-ne virum ?
Te ſexus negat eſſe virum, pudor eſſe parentem,
Virgineos fuſum lac negat eſſe ſinûs.
Vir tamen es, pariterque parens, innuptaque virgo,
Virgo pudore, vir es robore, lacte parens.

XXVI. NOVEMBRIS.

S. PETRVS *Alexandrinus Episc. cui Christus se per visum obtulit, conscissa impiè ab Ario veste.*

I.

HEi mihi! quò mentes non abripit auius error,
Cùm semel à recta flectitur ille Fide?
Impius in partes tunicam lacerauit Arius,
Quam lictor rabidâ non scidit antè manu.

XXVI. NOVEMBRIS.

S. CONRADVS *Episc. Constantiensis, delapsam, cùm sacrificaret, in sacrum Calicem aranean, innoxius bibit.*

I.

Dùm litat æterno sacratus Mysta parenti,
Ore renascentem parturiente Deum:
Lapsus Araneolus calici se reptilis infert,
Inque salutifero mors latet ipsa scypho.
Id, Conrade, rides; tamen imperterritus hauris
Quæ tibi sunt tutâ pocula sumpta manu.
Vix bibulo intulerat se turpis araneus ori,
Cùm celer illæso Flaminis ore fugit.
Nimirùm vetitis malus hospes ab ædibus exit:
Vnâ non habitant vitáque mórsque domo.

Ad D. CONRADVM.

II.

Toxica cur metuis, quæ putris aranea fudit,
Incestare sacrum turpiter ausa scyphum?
Ebibe quidquid id est, generoso interritus haustu,
Virus & antidotum continet ille Calix.

XXVI. NOVEMBRIS.

S. SILVESTER C. *viso adolescentis olim pulcherrimi cadauere resipiscit.*

I.

Ibat ouans mollésque procus spirabat amores,
Cui Siluestre aliud nîl nisi nomen erat.
Fortè cauernosum scrutans vespillo sepulchrum,
Eruit effossâ putre cadauer humo.
Constitit hîc, longóque olim quæ nouerat vsu,
Vix socij vultum nouit & ora sui.
Hei mihi! quæ tabes, clamat; quis putor in illo,
Qui pulchræ Veneris nuper Adonis erat!
Ille venustatum specimen, Charitûmque theatrum,
Afflabat teneras qui priùs ore rosas;
Occidit, & modicæ spatium vix occupat vrnæ,
Cui nimis angustus, quà patet, orbis erat.
Heu! vbi frontis honos, vbi dentis eburneus ordo;
Comptaque crispatæ margo decora comæ?
In tenuem cuncta hæc cinerum dilapsa fauillam
Intulit exiguo perbreuis hora rogo.
Quid tamen hâc horres notos in imagine vultus?
Ille quod est, id eris, tu quod es, ille fuit.
Sic fatus, frangítque tuos, Puer aliger, arcûs;
Extinguítque tuas, Cypria lena, faces.
Et patriâ fugit vrbe procul, nam quicquid ab illis
Temporibus vitæ duxit, eremus habet.
Tu Paphiæ quicúnque Deæ succenderis igne,
Sæpiùs hoc speculum consule, castus eris.

XXVII. NOVEMBRIS.

S. IACOBVS INTERCISVS *M. cùm à fide defeciſſet, acceptis à matre literis, ad ſe & ad Chriſtum redit.*

I.

NVminibus iam viſus erat, quæ Perſis adorat,
 Deſertor poſito thura litaſſe foco.
Quam caſtus dictauit amor, quam lacryma tinxit,
 Maternâ miſſa eſt litera ſcripta manu.
Et lacrymas legit ille piæ vocéſque parentis;
 Et lacrymæ & voces non leue pondus habent.
Ergo remolitis, quas antè ſacrauerat, aris
 Deſpuit, & vanos increpat ore Deos.
Non impunè tamen, nam quas interritus Heros
 Pertulit, in pœnas vix ſatis vnus erat.
Et modò pes, modò dextra manus, modò crura ſe-
 Perque pios artûs carnificina meat. (cantur,
Sic Iacobe, cadis; pérque omnia membra minutim
 Cæſus ab inflicto vulnere nomen habes.
Nempè alii ſubeunt cultu pro Numinis vnam;
 Vidimus innumeras te ſubiiſſe neces.

Suam in Chriſtum perfidiam feliciter obliterat.

II.

Dic age, nùm pudor eſt, Chriſto quam ritè ſacraras,
 Perfide iuratam deſeruiſſe Fidem?
Cùm tamen æqua tuis numerentur vulnera mēbris,
 Corpore te toto pœnituiſſe liquet.
Scilicèt hæc felix culpa eſt, nec inutile crimen,
 Vltrò conſequitur quod ſua pœna comes.
Noxia quæ reliquis oberant, tibi crimina proſunt,
 Nec tàm culpa nocet quàm metanæa iuuat.

Felices nimium, ſua quos diſpendia ditant,
Et quibus antidotum pota venena ferunt!

XXVIII. NOVEMBRIS.

S. STEPHANVS *M. adulterij falſo à fœmina accuſatus, quam propria ſoboles laniat.*

I.

LAbis erat, maculæq; expers, Stephanúſq; mari- (tos
Et cane vitabat peiùs, & angue toros.
Hunc tamen efficto traduxit adultera probro,
Ereptæque reum virginitatis agit.
Quid trepidas illæſe pudor? deſiſte moueri:
Exitium peperit perfida lena ſuum.
Nam quibus exierat, lacerauit viſcera proles:
Tuta parens, ſi non parturiiſſet, erat.
Expetiit meritas vindex Rhamnuſia pœnas:
Vipera non aliter debuit illa mori.

XXIX. NOVEMBRIS.

S. SATVRNINVS TOLOSATIVM *Epiſc. & M. feroci tauro alligatus per abrupta raptatur.*

I.

SVpplicij deforme genus! crudelis imago!
Barbaries ipſis vix ſatis apta Getis!
En trahit in præceps Capitoli è limine taurus,
Membra catenati ſanguinolenta Senis.
Circumfuſa ruit pubes, ſtimulóque frequenti
Indomiti fodicat terga ferina bouis.
Ille importuno tanquam furiatus aſilo,
Et per iniqua fugax, & per acuta ſalit.
Hîc cerebro terra inficitur, tabóque ſenili,
Strata illic fluido ſanguine ſparſa rubent.

Seminecem

Seminecem vepreta secant, passimque resultat
Saxa repercussum per salebrosa caput.
Squallida canities, concretaque sanguine barba
Hæret inexplicitis illaqueata rubis;
Tristes relliquias, auulsaque fragmina membris,
Pársque viæ partem corporis, omnis habet.
Saturnine, tuæ præsens tutela Tolosæ,
Intulit hæc meritis te laniena polis.
Terra artûs laceros, animus tenet astra: vir vnus
Vno non poteras tantus inesse loco.

XXX. NOVEMBRIS.

S. ANDREAS *Apostolus biduum è cruce pendet.*

I.

IAm geminos soles, totidémque ex ordine noctes,
Triste senex duri stipitis hæsit onus.
Suspirat rutilos oculorum obtutibus orbes,
Et meliore sui voce sub astra volat.
Sic trepidat motis vinctus Iouis armiger alis,
Dùm laqueus sursùm, quò cupit, ire vetat.
Sæpè vocat mortem, mors sæpè vocata recedit,
Quæ tamen inuitos sub sua iura rapit.
Cur tamen occlusâ mors dura auertitur aure?
Antè aurita nimis, cur modò surda manet?
Scilicèt illa suæ cladis non immemor, olim
Quo victa est, lignum rursùs adire timet.

E Cruce ad populum concionatur.

II.

Dùm velut è cathedra, facundus ab arbore pendes,
Circumfusa tuo pendet ab ore cohors.

S. ANDREAS *Apostolus* S. PETRI *Frater germanus.*

III.

Vt Fratres vos nemo neget, par nobile Fratrum,
Par fuit interitus, par quibus ortus erat.
Ambobus dedit vna parens almo vbere vitam;
Ambobus pariter Crux dedit vna necem.
Vita soror fuerat geminis vt Fratribus vna;
Sic mors est geminis Fratribus vna soror.
Vt lac matris idem, cruor est & funeris idem;
Lacte madent cunæ, sanguine fata rubent.
Retia piscosas jactauit vterque per vndas,
Moribus & vitæ conditione pares.
Diuerso sed vtérque situ suspensus obiuit:
Respicit hic Cœlum, respicit iste solum.
Scilicèt inuerso terras dùm respicis ore,
Te, Petre, terrarum credimus esse caput.

Ex D. ANDREAE *Tumulo oleum manat.*

IV.

Leniri poterat nullo solamine mœror,
Quem tua discipulis fata tulere tuis.
At cùm, Diue, tuo videant stillare sepulchr
Balsama, tùm cœpit mitior esse dolor.

XXX. NOVEMBRIS.

S. IOSCIVS C. *ex cuius demortui ore quinque rosæ hyeme pullularunt.*

I.

Vellere deciduo tacitarum sparsus aquarum,
Canebat nullo germine pictus ager;
Æthereæ tamen inscriptas pia nomina Matris,
Ioscius exanimi parturit ore rosas.
Non hæc Pæstani formosa decentia prati,
Non hâc Alcinoi messe superbit ager.
Qui peperit vernos hyemali sydere flores;
Fertilior reliquis nunquid is hortus erat?



MENSIS DECEMBER.

PRIMA DECEMBRIS.

S. PHILARITVS *ruris colonus in egenos sapienter prodigus.*

I.

RVsticus in tenui degit Philaritus agello,
 Duraque difficili rura bidente colit:
At licèt assiduis verset sua iugera rastris,
 Spem tamen infidus sæpe fefellit ager.
Ergò alios quæsiuit agros, quibus altera mandet
 Semina, quæ plenâ postmodò falce metat:
Nam modicas partitus opes, paruúmque lucellum,
 In vacuas Inopum iussit abire manûs.
Hæc tutâ, Philarite, manu sere semina, nunquàm
 Is fuit agricolam fallere visus ager.

II. DECEMBRIS.

S. PETRVS CHRYSOLOGVS *Episc. Rauennas, in quo par virtuti doctrina.*

I.

QVã bene, Petre, doces facienda, facísq; docẽda,
 Dùm tua lingua docet, quæ tua dextra facit!
Virtuti est germana tuæ doctrina, probátque
 Vox tua te doctum, te tua dextra probu[m]

De eiusdem statuâ.

II.

Lysippus digitos, Phidias labra, lumina Mentor,
Praxiteles humeros finxit, & ora Myron.
Parte tamen meliore sui Petrus indiget: ô quis
Chrysologi vocem, qui mihi reddat, erit?

Ad Opificem.

III.

Præsulis exanimes retulit tua dextera vultûs,
Os mutum est, reticet lingua, labella silent.
Sculpere vocem, Opifex, vocem si pingere posses,
Tu Phidiâ maior, maior Apelle fores.

Eius libri sententiarum nitore illustres.

IV.

Multa tuæ rutilet licèt indita gemma Tiaræ
Crebrior est libris indita, Petre, tuis.

II. DECEMBRIS.

S. FRANCISCVS XAVERIVS *Indiarum Apostolus funiculis crura adstringit.*

I.

Soluite Cœlicolæ, religatos soluite funes,
Crura quibus strinxit mollia dura manus.
Qui maris & tantum debet telluris obire,
Hunc male nodosâ compede vincla ligant.

Ad sacrum Amorem.

II.

Improbe Amor, tenso corpus quid fune fatigas?
An tacitum indagas hâc vafer arte scelus?
Nîl opus est torquere reum sua facta fatentem,
Te prohibent leges, id pia iura vetant.

At quem tendiculis, fidibúſque tenacibus arctas,
Sponte reum qui ſe confiteatur, habes.

S. XAVERIVS *horrore obiecta ſibi dormienti Veneris, ſanguinem eiectat.*

III.

Diue, tibi obiectâ Veneris per ſomnia laruâ,
Naribus erupit fuſus, & ore cruor.
Dic age, cur Cypridis quæ ſpurca affinxit imago,
Imbuerit liquidus turpia viſa rubor?
Scilicet antè habuit reliquos Venus vna colores;
Solus hic in Veneris defuit ore color.

De eodem argumento.

IV.

Sopitum aggreditur, vigilem quem Cypria pellex,
Nullo vnquàm potuit fallere viſa dolo.
At neque ſopitus ceſſit fallacibus vmbris,
Sed Venerem ſolo ſanguinis imbre fugat.
Xauerium vigilem ſuperare quis audeat hoſtis,
Si palmam ſomno victus ab hoſte refert?

De eodem argumento.

V.

Franciſcum aggreſſus placidi ſub imagine ſomni,
Cypridis ignauum ſe puer eſſe probat.
Nempe puellus iners in bella laceſſere fortem
Non auſus Pugilem, dùm vigilaret, erat.

D. XAVERII *exantlati labores.*

VI.

Et flammam & motum, Franciſce, viæque labores,
Et geminus prorsùm cætera ſolis habes.

Surgis in Occiduis, in Eoïs occidis vndis :
Hoc vnum Soli te vetat esse parem.

Indica lingua ignarus concionatur.

VII.

Dùm loquitur tua lingua sono, tua dextera gestu ;
Dextera plus visa est, quàm tua lingua loqui.
Nam quæ circunstat numeroso concio cœtu,
Dextrã audit, fusos cernit ab ore sonos. (ordo?
Quod genus hoc monstri est ? quis rerũ incognitus
Turba frequens oculis audit, & aure videt.

XAVERII *pectus sacris delitiis exundat.*

VIII.

Xauerius sacros dum ventilat ætheris æstûs,
Pectoráque alternâ laxat aperta manu :
Prodiga suspiciens lacrymoso sydera vultu,
Dicitur hæc querulis verba dedisse sonis :
Ah Deus ! ah ! satis est, nimis vbere deficit haustu,
Mens mea deliciis non satis ampla tuis :
Vobis, deliciæ, cur non licet esse minores ?
Cur mihi majores non licet esse sinûs ?

Iactam in iratum mare Crucem à Cancro recipit.

IX.

Dùm procùl extremæ petis intermundia terræ ;
Quò Phaëtontæis vix datur ire rotis :
Nox atra inuoluit nitidum caligine solem,
Intumuit subitis æquoris ira minis.
Nec mora : compositas Crux jacta coërcuit vndas ;
Crux, Francisce, tuæ dûxque coméſque viæ.
At simùl optatam tetigit pia puppis arenam ;
Qui referat pignus nobile, piscis adest,
Et vitale gerens ora inter hiantia signum,
Xauerij notos detulit ante pedes.

I Cancer, superósque inter non vltimus ignes;
I, refer obsequio prȩmia digna tuo.
Nam veteres augere faces tu dignior illo es,
Qui numerosa inter sydera nomen habet.

Tempestates sedat Crucis signo.

X.

Xauerius sacrum demisit in æquora signum;
Dùm mouet iratas ventus, & vnda minas.
Protinùs Æolij tenuere silentia fratres;
Nempè timent visam, quam meruêre, Crucem.

D. XAVERIVS *viuâ calce sepelitur.*

XI.

Aggestum est tumulo quid calcis inutile pondus,
Vt super exesis carnibus ossa forent?
Xauerius calce injectâ si posset aduri,
Ignibus exustus jam foret ille suis.

III. DECEMBRIS.

S. THEODVLVS *C. relictâ Aulâ Theodosianâ, columnam Edessæ triginta annos incolit.*

I.

NObiliū attigerat culmen Theodulus honorum,
Inclyta fœcundo quos parit Aula sinu:
Sponte tamen vanæ pertęsus inania famæ
Murmura, se titulis abdicat ille suis.
Prȩcelsámque premens tricenâ messe columnam,
Despicit exiguam nubilus hospes humum.
Quem pede suppofuit, toto sublimior orbe,
Sydera contiguo vertice penè ferit.
Iure potentum apices rides, nouus incola, Regum;
Et strepitum, & fluxas, futile pondus, opes.

Quicquid enim vaſtus gremio complectitur orbis,
Punctum eſt; vel puncti ſectilis inſtar habet.

IV. DECEMBRIS.

S. ANNO *Epiſc. Colonienſis ſub ipſam mortem Deiparam Virginem enixè implorat.*

I.

DVM ſuprema tui te funeris hora vocaret;
Auxilium magnæ Virginis, Anno, rogas.
Sydereæ limen cùm ſis ſubiturus in Aulæ,
Pulſanda eſt ſummi Ianua ſacra Poli.

IV. DECEMBRIS.

S. BARBARA *V. & M. barbaro patre inſequente, rupis ſponte hiantis ſinu excipitur.*

I.

Aggredior bifidi miracula peruia ſaxi;
Dùm fugeret patrias Barbara ſalua minas.
Námque vbi clauſa vident rigidi præcordia patris;
Diduxêre ſuos ſaxa miſerta ſinûs.

Ad D. BARBARAM.

II.

Diua, verecundi laus illibata pudoris,
Gemmáque virgineos inter honora Choros;
Da veniam, ſi fortè rudi te dixero verſu;
Carmina conuenient cautibus iſta tuis.
Dura ſalebroſo canitur ſi carmine rupes;
In duris ſalebræ rupibus eſſe ſolent.

Ad Eandem.

III.

Rustica Musa tuas memorabit, Barbara, lauros:
Materiæ quadrat rustica Musa suæ.
Dextra nouercali te patria læserat ictu;
Te quoque jam Vatis lædet inepta manus.
Nec Vatis mucrone manus, nec nuda parentis,
Scilicèt hic telo lædet, & ille stylo.
Qui mea cúnque legent incondita carmina; dicent;
Barbara materies, barbarus author erat.

Spreto Musarum auxilio D. BARBARAM *inuocat Poëta.*

IV.

Non voco ter ternas, mendax Parnasse, Sorores;
Ter ternas superat Barbara sola deas.
Non ego Mæoniam temerarius ambio venam;
Est melior modulis altera vena meis.
Quam pater impacto feriit tibi, Barbara, ferro,
Hęc facit ad numeros vnica vena meos.
Petra mihi Parnassus erit, quæ tacta dolore,
Dicitur in patulam secta fuisse viam.
Scilicèt vt bijugo rupes foret æmula Pindo,
In geminum rupes scinditur vna jugum.

Ad Rupem cuius in sinu excepta est D. BARBARA.

V.

Opportuna silex profugi tutela pudoris,
Hæc inscripta tuo limine verba feras:
Cùm patrium fugeret festina puella furorem;
Marmoreos subiit sponte recepta sinûs.
Mutauêre vices ambo, saxúmque, patérque,
Ipse pater saxum, saxa fuere pater.

D. BARBARA *à suo parente mactatur.*

VI.

Quales pura inter dùm sydera, Phosphore, fulges;
Et nitidum violant nubila nulla polum:
Talis erat reliquas inter, pia Barbara, Nymphas,
Talis Martyrij laude decora nitet.
Huic solus teneris cor Christus ab vnguibus vssit,
Ille fuit spretis Sponsus, amórque procis;
Quamuis imperio genitor prohibebat iniquo;
Ne vellet lecto cœlibe Virgo frui:
Quem furor immanis perduxit, vt impius vltor
Demeteret Natæ colla, capútque suæ.
Corporis illa quidem vinclis exuta tetendit
Ad superas, Turbâ Cœlite cincta, plagas.
At Deus omnipotens sceleratum ad lurida patrem
Tartara, vibrato fulminis igne, rapit.
Ille Erebo dignus, digna hæc fulgentibus astris:
Sic meritum petiit nata, patérque locum.

Ad Dioscorum impium parentem.

VII.

Infelix genitor! bifido crudelior antro,
Tu-nè potes duris durior esse jugis?
Exclamare libet, Crudelis, barbare tortor,
A frigidâ proli parcere, disce petrâ.

Ad D. BARBARAM *de eius nomine.*

VIII.

Barbara, quam decorant meliores nomine mores;
Quæ nihil incultæ rusticitatis habes:
Cur tibi barbaries indit sua nomina? Debes
Mitis ab Hiblæis nomen habere fauis.
Vt Ducibus deuicta suis dedit Africa nomen:
Barbaries nomen sic tibi victa dedit.

Aliud.

IX.

Duritiem gerit ipse parens sine nomine duro :
Tu sine duritie nomina dura geris.

Aliud.

X.

Vt dispar sibi nomen habet, quæ parcere nescit,
Parca ; tibi dispar sic quoque nomen habes.

Rupes duas in partes scissa.

XI.

Æquor Erythrææ Moses vbi perculit vndæ ;
In bifidas abiit sectile marmor aquas :
Virgo pium marmor fractâ compage resoluit ;
Dùm fugit immeritam patre minante necem.
Virga & Virgo pares bipatentia marmora scindunt;
Virga sali secuit marmora, Virgo soli.

Ad D. BARBARAM.

XII.

Barbara, pone metum, natiui oblita rigoris,
Excipit hospitio te caua petra suo.
Ipsi, quis credat? lapides mitescere discunt ;
Vnicus indocilem se probat esse pater.

Virgo barbara.

XIII.

Dum formosa fui venit in discrimen honoris,
Sæpiùs ô vtinam barbara Virgo foret!

D. BARBARA *à parente in obſcurum carcerem compingitur.*

XIV.

Antè tenebroſas ſubiiſti carceris vmbras;
Quàm caderes patriâ, Virgo, perempta manu.
Sic gratâ bis luce cares: ſic ira parentis
Abſtulit æthereum bis tibi, Diua, diem.

D. BARBARA *cæleſte epulum morientibus ſeque inuocantibus procurat.*

XV.

Æthereæ quicúnque cupis ſacra fercula menſæ,
Antè tuos claudat quàm Libitina dies:
Supplicibus Virgo póſcenda eſt Barbara votis;
Non erit hæc votis barbara Virgo tuis.

D. BARBARAE *Epitaphium.*

XVI.

Tu quicúnque piæ lachrymaris fata puellæ;
Fac memor inſcriptas præferat vrna notas:
Hic ſacra defenſo jacet hoſtia cæſa pudore;
Hoſtia defenſo ſi qua pudore jacet.
Pœna calybs; turris carcer; pater ipſe peremptor;
Mors votum; Martyr Barbara; cauſa pudor.

Ad D. BARBARAM.

XVII.

Diua, inter reliquas longè celeberrima Nymphas;
Lucida Virginei gemma, decúſque Chori.
Obtuſis hebetata vides epigrammata dictis;
Nîlque, quod in noſtro carmine pungat, habes.
Cauſa ſubeſt, præacuta nocent: quâ lactea tortor
Colla ſecat, nimiùm cuſpis acuta fuit.

Vt mihi carmen hebes; quo te pater ense trucidat,
O sic! ô vtinam sic foret ensis hebes!

V. DECEMBRIS.

S. SABAS *Abbas leonem asello suo custodem præficit.*

I.

DVM tacitæ Sabas per amica silentia syluæ,
Cœlestes totâ mente volutat opes.
Alternante leo coram se poplite sistit,
Et medicam Ascetæ postulat æger opem.
Nec mora: pressantis solo medicamine dextræ,
Liberat ægrotum tabe latente pedem.
Ille pauor nemorum, formidandúsque satelles,
Qui reliquas domino territat vngue feras;
Incolumis Medico soteria protinùs offert;
Et fore se famulum, tempus in omne, vouet.
Obsequium admisit Sabas famulare leonis;
Inque vicem fidum se quoque spondet herum.
Custodem ergo suo Senior pręfecit asello;
Nec fugit id munus, bellua tanta, leo.
Cùm primùm exoritur Titan, ad pascua ducit,
Rugitúque auidos terret, & vngue lupos.
Tardigradúmque animal claudit villosus Agaso,
Dùm redit exiguam, nocte jubente, domum.
Sic memor acceptæ leo cernitur esse salutis;
Et docili gratam soluere mente vicem.
Ah! pudeat mortale genus feritatis! ab ipsis
Quisquis es, officium reddere disce feris.

Aliud.

II.

Vrbibus è mediis quamuis fugitiuus abesset,
Reddidit vrbanas exul ab vrbe feras.

Sitiens aquas è Rupe educit, & illæsus ardentem caminum subit.

III.

Elicis auritas bifidis è rupibus vndas,
Vt releues sæuam, quæ premit ora, sitim.
Prætereà accensi subeuntis in ima camini,
Visa est contiguæ parcere flamma togæ.
Te memor è siccis educere flumina saxis,
Fortè tuas timuit callidus ignis aquas.

VI. DECEMBRIS.

S. NICOLAVS *Episc. Myrensis adhuc infans, diebus Mercurij & Veneris lacte abstinet.*

I.

TEmporibus pressare negat puer vbera certis;
Et liquidas, voluit quas dare mamma, niues.
Sæpè parens dixit, Mi pupule, suge papillas;
Materno plenos nectare suge sinûs.
Suge, iterùm repetit, major cùm accesserit ætas,
Tempus erit placitis abstinuisse cibis.
Nîl tamen à tenero nutrix exorat alumno;
Siue sit illecebris, siue sit vsa minis.
Sed quibus esuriem tulerat puer antè diebus;
Fert inguстato vírque, senéxque cibo.
Pupulus intactâ celebrans jeiunia mammâ,
Instruit ætatem, cæca Iuuenta, tuam.
Téque monet primis mores secteris ab annis;
Quos tibi, dùm senium te premet, esse voles.

Tribus puellis, quas egenus pater prostituere parabat; dotem tribus noctibus furtim per fenestras immittit.

II.

Sponſus adeſt, ſponsáſque petit cum dote puellas;
Nil dotis genitor, quod numeretur, habet.
Ergo procis vulganda, ipſo lenone parente,
Mœrebat vacuâ terna puella domo.
Reſciit id Præſul, ſortémque miſertus egenam,
Non tulit indignum, patre patrante, nefas.
Noctíſque obſcurus tenebris, ter limina luſtrat;
Ter pluuias nimbo diuite ſpargit opes.
At ne fortè piam quis nouerit arbiter artem,
Furtiuam dederat cæca feneſtra viam.
Quid trepidas, viſóq; manum quid ſubtrahis auro?
Pande tuos, moneo; pande, puella ſinûs.
Nullæ hic inſidiæ, dolus eſt in munere nullus:
Nullus in hoc turpis Iuppiter imbre latet.

Aliud.

III.

Virginibus non ſole palàm largiris egenis;
Sed nox obſcuro te tegit atra ſinu.
Fruſtrà oculos vigiles, Præſul, tua munera celas;
Tot vigilant oculi, quot ſuper axe faces.

Ad D. NICOLAVM.

IV.

Theſauro furtim redimis præſente ſorores,
Proſtituit pacto quas ſuus ære parens.
Clámque fugis latitans, vt te auri nemo datorem,
Sed magè raptorem quilibet eſſe putet.

Morienti Cœlites occurrunt.]

V.

Decurſæ permenſus erat data tempora vitæ,
Dùm pius è terris Præſul in aſtra volat.
Nè nullâ ſtipatus eat ſuper æthera pompâ,
Adfuit è ſuperis obuia turba Polis.
Cœlicolum occurret pariter tibi cœtus Olorum,
Si quo Præſul iit tramite, junctus eas.

Ex eius tumulo ſalubris aqua emanat.

VI.

Diue, procùl triſtes, examina pallida, morbos,
Ire jubet tumulo quæ fluit vnda tuo.
Quæ reprimit lethíque gradū, falcémque Sororum,
Quilibet hanc vitæ dicere poſſit aquam.

VII. DECEMBRIS.

S. Ambrosivs *Mediolanenſis Epiſc. in cuius infantis ore apes mellificant.*

I.

SOpierat blandum nutricula dulcis Alumnum,
Et ſomnum arguto molliter ore dabat.
Ecce tibi tremulæ reſonans ſtridoribus alæ,
Rauca volatilium turba vagatur apum:
Et cunas armata phalanx, Pupíque ſonorum
Præſidio cingit circumeunte torum.
Non ſegetem hortorum curat, non vellera florum,
Non thyma, Cecropij fertile germen agri;
Nam ſuaues Zephyrorū animas, Cœlíque ſaliuam,
Et ſapidas pueri libat ab ore roſas.
Inque ſuæ pretium prædatrix turba rapinæ,
Condiit infuſis oſcula plena fauis.

Ite piæ volucres; alijs insistite labris:
Melle peregrino non eget iste puer.
Nam cùm lingua sonos dederit, mirabitur orbis,
His nectar vestro dulciùs ire labris.

Mel AMBROSII *in eius libros transfusum.*

II.

Dùm genitrix agitat leni cunabula motu;
Et puero somnos voce, manuque ciet:
Cœtus apum vacui circum laquearia tecti,
Cernitur in longas ire redire moras:
Dúmque putat duo labra rosas, duo lilia malas;
In pueri malis institit, inque labris.
Mellificas volucres decepit amabilis error;
Æmula sunt malis lilia, labra rosis.
At postquàm gemini se floris imagine lusam
Cernit apis, properâ se rapit inde fugâ.
Non tamen inde suum prorsus rapit inuida nectar;
Nam condìta pio nectare Scripta madent.
Vel labris apis est, vel visa insidere libris;
Antè labris; sed nunc insidet illa libris.

D. AMBROSIVS *melleâ eloquentiâ facundus.*

III.

Dulce tibi Ambrosiâ, dulce est tibi Nectare nomen,
Dulcior ipse tuo nomine, Præsul, eras.
Dùm populo loquerere, fauum tu mellis in ore,
At gerit auditor mellis in aure fauum.

D. AMBROSIVS *Orpheo ſimilis.*

IV.

Hunc Suadela ſuis puerum dea fouit in vlnis;
Fouit in ambroſio caſta Minerua ſinu.
Nimirùm ex illis traxit complexibus infans,
Eloquij largas melle fluentis opes.
Hinc animos pellace potens ſermone triumphat;
Siue ſtylo malit vincere, ſiue ſono.
Threicius Vates vocum modulamine traxit
Saxa; ſed iſte hominum ſaxea corda trahit.

Idem Neſtore facundior.

V.

Tantùm habuit Neſtor mel, dùm loqueretur, in ore;
At puer iſte, priùs quàm loqueretur, habet.

THEODOSIVM *Imperatorem aditu templi arcet.*

VI.

Auguſtus penetrare ſacras dum nititur Ædes;
Antiſtes vetitâ non ſinit ire viâ.
Nam licèt inſtillent ſuccum, mellíſque ſaporem;
Inſuper ambroſias armat acumen apes.
Vt ſimul inſtructa eſt & melle & cuſpide, nouit
Vngere, ſed pariter pungere nouit apis.

Theodoſius ſuâ demiſſione maior.

VII.

Pronus humi dùm templi aditum Theodoſiùs orat,
Vtque ſacræ pateant, atria clauſa, fores;
Conſpexit caput ipſe ſuum, tunc Maximus orbis,
Proſtratum magni Præſulis ante pedes.

Subdidit oppositæ Cæsar Diadema Thiaræ:
  Subdidit intrepido Regia Sceptra Pedo.
Dignior est summi nunquàm mihi visus honoris,
  Quàm summo dùm se deijcit ille loco.

VIII. DECEMBRIS.

*VIRGO DEIPARA *sine labe concepta: siue* Speculum sine macula. *Sap.* 7.

I.

PRimæui concepta nites sine labe veneni,
  Nec tibi quæ reliquis, turpis origo fluit.
It nullus sine nube dies, nec libera næuis
  Cynthia, nec maculis Sol caret ipse suis.
At tu, Virgo Parens, genialis libera noxæ,
  Syderibus longè purior vna micas.
Sunt tamen ingenitâ qui te contage notatam,
  Dùm tua te Genitrix concipit, esse velint.
Qui maculas cernit, vitreum dùm consulit orbem,
  Has sibi, non speculo credet inesse suo.

Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? *Cant.* 6.

II.

Quàm dispar nitidæ vetus est Aurora Mariæ!
  Vtráque dissimili cernitur orta modo.
Illa rubros maculat nebulis nigricantibus ortûs,
  Vnica conceptu est pura Maria suo.
Et meritò: nam prima diem mortalibus affert,
  At melior terris afferet ista Deum.

Quasi palma exaltata. *Ibid.*

III.

Labe suâ reliquos onerat graue pondus Adami,
Palmam oneri culpæ succubuisse, nefas.

MARIA *sine labe concepta.*

IV.

Dicite, cur nullus, reliquos qui corripit, ignis
Arsit in intactâ virgine? fomes abest.

Aliud.

V.

Pressit humum teneris nondùm Virguncula plantis,
Tartareum oppressit cùm Stygis illa caput.
Calcando præuerte trucem velociter hydrum,
Ne necet afflatu te prior ille suo.

Scotus illibatum VIRGINIS *conceptum propugnaturus, ad statuam illius procidit, quæ moto capite opem annuisse dicitur.*

VI.

Natiuæ exortem labis dum, Scote, Parentem,
Ad pugnam fidens, vt tuearis, abis:
Patronas de more Cliens procumbis ad aras,
Stant vbi Phidiacâ signa polita manu.
Saxea demissum caput inclinauit imago,
Vt certam annueret flexile marmor opem.
Perge audax animi: neque enim locus esse timori
Iàm datur: ipsa suam dant vbi saxa fidem.
At vobis, quibus est longè sententia discors,
Qui primum inficitis labe nigrante decus:
Ni veterem verax expellat opinio mentem,
Duriùs illo ipso marmore pectus erit.

IX. DECEMBRIS.

S. NECTARIVS C. *Aruernorum mentes Christi Fide excolit, idque magno prouentu.*

I.

HIc vbi celsa suas Aruernia surrigit arces,
Et multo latè scrupea colle tumet,
Nectarius Latiâ Flamen digressus ab vrbe,
Diuino cœli Nectare corda rigat.
Vix oculis sit habenda fides, quibus ille maniplis,
Et quantâ cultor messe superbus eat.
Pingue solũ, seménque ferax, gnauúsque colonus,
Signa secuturæ fertilitatis erant.
At quicúnque pari desudas cultor in agro,
Par tibi si labor est, par quòque messis erit.

X. DECEMBRIS.

S. MEMNAS M. *oculis priuatur.*

I.

CÆcus eras, nam cruda manus furialiter hausit
Lumina, quæ geminis emicuêre genis.
Non tamen à primo virtutum tramite flectis,
Quanquàm oculis orbus progrediare tuis.

X. DECEMBRIS.

S. EVLALIA V. & M. *cuius ex ore, cùm in flammis expirasset, visa est abire columba: eiusque tumulum niues intempestiuæ texerunt.*

I.

Vix tibi sol geminos denis superaddidit annos,
Callaici sydus nobile, Virgo, soli.

Tum ſexu, & teneris longè generoſior annis,
    Proteris Heroo numina bruta pede:
Dúmque auidos bibis ore rogos, tuus aurea cœli
    Sydera, vectanti ſpiritus igne ſubit:
Et niue candidior, nitidis argentea pennis,
    Ire tuis viſa eſt pura columba labris:
Quóque ſepulta loco es, mirantibus ætheris aſtris,
    Explicuêre ſuas vellera lapſa niues.
Et nix & niueis ales nitidiſſima pennis,
    Certa pudicitiæ ſigna fuere tuæ:
At licèt albeſcant & nix, & Chaonis ales,
    Candidiore tamen, Virgo, pudore nites.

De niuibus S. EVLALIAE *ſepulchrum tegentibus.*

II.

Obduxêre locum, quo Virginis oſſa jacebant,
    Vellera deciduæ prodigioſa niuis.
Interitum reliquis nix altera floribus infert:
    Nix hæc virginei nuntia floris erat.

S. EVLALIA *Virgo duodennis pro Chriſto moritur.*

III.

Si palmæ, & teneri numerentur Virginis anni,
    Palmarum numerus, credite, major erit.
Alcides duodena refert ex hoſte trophæa:
    Herculeum ſuperat penè Puella decus.

XI. DECEMBRIS.

S. DANIEL *Stylita diuturnus columnæ incola.*

I.

COelitibus Daniel ipsis conterminus hospes,
Suppositam celso sub pede ridet humum.
Erectâ natura parens hunc stare columnâ,
Vsque videt noctes, & videt vsque dies.
Et propè ter denus dum circumuoluitur annus,
Nulla fames torsit viscera, nulla sitis.
Supra homines, supráque hominum mortale quod (vsquã est
Perstitit Orci ingens terror, amórque Poli.
Dúmque pruinosum caput inter nubila condit,
Æthera vicini verticis vrget apex.
Non erit auxilium valido quod ab Hercule poscat,
Qui graue stelliferi sustinet axis onus.
Ipse Polum poterit Daniel fulcire labantem,
Si trepidet tanto pondere fessus Atlas.

XI. DECEMBRIS.

B. IVVENIS ÆGYPTIVS ANONYMVS *M. argenteo loculo inclusus oleum sudat.*

I.

Martyr odoriferum post funera sudat oliuum;
Vt Christi Athletam scilicèt esse scias.

XII. DECEMBRIS.

SS. ALEXANDER & EPIMACHVS *MM. Ad eos torquendos nouaculâ tyrannus vtitur.*

I.

QVid sæuã instruxit tibi dura nouacula dextrã?
Dic age, pœnarum cur noua monstra paras?

Fallor, an in melius versâ feliciter arte,
Vis fieri tonsor, qui modo tortor eras?

S. ALEXANDER *post toleratum diù carcerem in ignem conijcitur.*

II.

Carceris in mediâ clarus si nocte refulsit,
Clarior in medio nunc erit igne Pugil.

XII. DECEMBRIS.

S. IODOCVS C. *Angliæ Regis filius, spreto regno patrio in Eremum se recipit.*

I.

QVid regnum, regnique decus, diadema reponis,
Clare Caledonij sanguis, amórque soli?
Vt fugias, non effugies: honor vsque fugacem
Quoquò eat, insequitur, jugis vt vmbra, virum.
Ne nulli imperites, medijs se turba ferarum
Saltibus, imperio supposuêre tuo.
Accurrêre lupi cicures, positísque leones
Moribus, innatas dedidicere minas.
Nimirum Rex ipse sui Iodocus agebat:
Et sibi, non populis imperat ille suis.
Esto tui dominus, quicúnque rebellibus optas
Tigribus, & reliquis imperitare feris.

XIII. DECEMBRIS.

D. LVCIA *illustris virtutibus.*

I.

QVanquã illustre tibi dederit lux, Lucia, nomen,
Virtutum à propria tu mage luce nites.

D. LVCIA *V. & M. nullâ vi ad lupanar raptari potuit.*

II.

Virgo profanatas ſubitura Cupidinis ædes
  Horruit, in mediis horret vt agna lupis.
Quid Virgo male cauta times? abſiſte vereri,
  Ipſa pudicitiæ militat æthra tuæ.
Nam quanquàm procus inſtet amans, multúſque ſatelles,
  Innumeróſque boues addat, & addat equos:
Nîl poterunt juga mille boum, nîl mille jugales:
  Vſque eſt propoſiti Virgo, tenáxque loci.
Ergo leues poſthàc nemo putet eſſe puellas:
  An leuis eſt, nullâ quæ valet arte trahi?

Aliud.

III.

Cùm nullo valeat molimine Virgo moueri;
  Stétque inconcuſſo firma, grauíſque loco:
Te, leno, grauis error habet, ſi fortè pudorem
  Virgineum parui ponderis eſſe putes.
A quâ nomen habet, ſubeat Lupa fœda Lupanar,
  Non intrare illum debuit Agna locum.

Oculos pudicitiæ ſeruandæ causâ ſibi eruit.

IV.

Indemnata ſuo cur lumina lumine fraudas?
  Aut tenebras oculis quid minitare tuis?
Nîl oculi meruêre tui: cur crimina penſant?
  Qui cernit, non qui cernitur, ille reus.
Imò, ait illa, nocens decor eſt, oculique nocentes;
  Diſplicitis ſcelus eſt me placuiſſe procis.
Dixerat, & geminos oculorum è ſedibus orbes,
  Eruit audaci Virgo pudica manu.

Protinùs extinctis expalluit omnis ocellis,
 Et cecidit formæ, qui fuit antè, nitor.
Obſcurare ſolent tenebræ; tamen ordine verſo,
 Clarior à tenebris redditur illa ſuis.

Diuinum amorem ſuis oculis donat
D. Lvcia.

V.

Lucia diuino dùm lumina tradit Amori,
 Fatus Amor paribus dicitur eſſe ſonis:
Errarem nuper dùm lumine captus vtroque,
 Indoluit ſorti caſta puella meæ:
Méque ſuis, quibus orba manet, donauit ocellis,
 Eſſe duces noſtræ quos dedit illa viæ.
Sic ait; & gemini facibus claratus ocelli,
 Ire ſuum certo tramite pergit iter.
Indè probus nunquam errat Amor: ſæpe improbus errat:
 Nempe alter cœcus: lynceus alter Amor.

D. Lvcia *erutos ſibi oculos ad Tyrannum mittit.*

VI.

Cepi oculos malè cauta tuos, jam furta rependo,
 Próque tuis, oculos en tibi reddo meos.
Si quæris gemino cur dem duo lumina dono;
 Non fuerat tenebris fax ſatis vna tuis.
Iam mucro ex oculis vnum terebrauerat orbem,
 Ducebátque pigras dextera lenta moras.
Erue, quid ceſſas? alter dicebat ocellus,
 Erue de gemino lumen vtrúmque ſinu.
Nempè ſuum voluit comitatus habere ſodalem,
 Et ſine ſe fratrem noluit ire ſuum.

D. LVCIAE *oculi in ſydera conuerſi.*

VII.

Iam vacuis oculorum orbes ſcrutata lacunis,
  Hauſerat intrepidâ clara Virago manu.
Hos Amor auratâ fluidos in lance recepit,
  Notaque ſtelliferæ limina noctis adit:
Cúmque deam longè tenebroſâ in veſte notaſſet,
  Accedens ſimili carmine fatur Amor:
Hos ego formoſum tibi defero, munus, ocellos;
  Augeat vt reliquas hæc quoque flamma faces.
Muneribus dea læta nouis, gratatur Amori,
  Hauſtaque virgineâ lumina fronte capit.
Cúmque datos oculos fuluo ſpectaſſet in auro:
  Hei mihi! non illo munera digna loco.
Addidit, vt multò poſthàc oculatior eſſet,
  Hos oculos oculis nox oculata ſuis.

Si oculus tuus ſcandalizat te, eijce eum. *&c.*

VIII.

Errones oculorum orbes, plantámque nocentem,
  Abſcindi dextrâ vindice, Chriſte, jubes.
Præſtat, ais, ſuperas mutilatum viſere ſedes,
  Quàm ſtygij ſaluo corpore ſtagna vadi.
Quam mancus, quam claudus init, quam lumine captus,
  Difficilem cœli quis putet eſſe viam?

Aliud.

IX.

Erue, Chriſtus ait, partémque auelle ſceleſtam,
  Si qua impermiſſi criminis autor erit.
Chriſte, reus ſcelerum quicúnque piacula patrat,
  Conſiliis morem non gerit ille tuis.

Nam reâ si trucibus foderentur lumina telis,
Exiguo mundus tempore luscus erit.
Admissâ torperet iners si dextera noxâ,
Exiguo mundus tempore mancus erit.
Si malè quæ dixit, lingua extirpata sileret,
Exiguo mundus tempore mutus erit.
Pœna comes nocuas si protinùs amputet aures,
Exiguo mundus tempore surdus erit.
Si pede debilior, quisquis pede peccat, abiret;
Exiguo mundus tempore claudus erit.
Si scelerata suis mutilentur corpora membris,
Exiguo mundus tempore truncus erit.
Denique si toto, quisquis reus, exulet orbe,
Exiguo mundus tempore nullus erit.

S. LVCIA *signum cœleste.*

X.

Astræam rutilo quid fingis in æthere Nympham,
O cui Pieridum fabula vana placet?
Si qua sit æthereis sydus quæ luceat astris,
Aut nulla, aut virgo Lucia sydus erit.

Stulte agit Tyrannus dum S. LVCIAM *igni addicit.*

XI.

Nequicquàm immeritos, Virgo, damnaris ad ignes,
Vtilis est, quamuis tortor obesse velit.
Igne, velut radiis, latè circundata luces,
Pulchrior & geminâ, Lucia, luce micas.

XIII. DECEMBRIS.

S. OTHILIA *V. cæca nascitur, sacro fonte tincta oculis donatur.*

I.

Parca tibi vsuram lucis natura negarat,
Illud erat dextræ nobilioris opus.

Nam postquàm sacra Lympha Deo te, Virgo, dica-
Nocte procùl pulsâ splenduit orta dies. (uit,
Natiuas inuersa vices elementa nouarunt,
Lucem aliàs flammæ, nunc peperistis aquæ.

Cæcam puellam parentes ferre non possunt.

II.

Iussa tegi tenebris latitabat Othilia virgo,
Nec genitrix poterat ferre, nec ipse parens.
Causa subest natæ aspectum cur vitet vtérque,
Vt possit natam cernere, lumen abest.

XIV. DECEMBRIS.

S. SPIRIDION *ex Opilione creatus Cypri Episcopus.*

I.

QVI priùs agrestis seruabat ouilia Pastor,
Alterius curam cœpit habere gregis.
Nam posito quo fuste lupos arcebat abactos,
Sumpsit honorificum dextra verenda Pedum.
Antè rudimentum posuit, quàm mutet ouile,
Nè quis ad officium jam putet esse rudem.

Ad D. SPIRIDIONEM.

II.

Ex ouium Pastore, hominum fit denique Pastor:
Ara fuit meritis, non hara, digna tuis.

XIV. DECEMBRIS.

S. NICASIVS *Rhemensis Episc. Psalmum Dauidicum, quem inceperat, capite truncato absoluit.*

I.

Isacidæ caneret Psaltes dum carmina Vatis,
Impia dextra pium sustulit ense caput.
Non tamen abrupit cœpti primordia cantûs,
Nâmque suum exanimis lingua peregit opus.
Nemo senescentis memoret modulamen oloris,
Præsagâ inferias dum sibi voce parat.
Nimirùm moriens canit ipso in funere cygnus :
Iste suo functus funere cantat Olor.

XIV. DECEMBRIS.

S. AGNELLVS *Abbas trimestris infans concinuit salutationem* VIRGINI.

I.

Vix ierant, Agnelle, tibi tres ordine menses,
Dulce salutatâ Virgine dicis Aue.
Sic tener in teneris vix natus ouilibus agnus,
Matrem balanti voce salutat ouem.

XIV. DECEMBRIS.

B. AGNES *Augusta, Henrici IV. pessimi Imperatoris parens optima.*

I.

O longè meliore parens dignissima fœtu !
Accipitrem turtur parturit, agna lupum.
Felices aliæ redduntur pignore matres,
Ista magis felix, nî peperisset, erat.

Laneis vestibus vtitur.

II.

Non Agnes auro induitur, non diuite cultu,
Nec, quæ Sydonio murice, veste, rubet.
Sed lanâ, infecit nullus quam fucus adulter:
Illo vestiri vellere debet ouis.

XV. DECEMBRIS.

S. EVERARDVS C. *pro Fide pugnat, Deóque templa ædificat.*

I.

O Columen Galli, ô lumen spectabile sceptri!
Ingens Militiæ fama, decúsque Togæ.
Et patris, & nati decora immortalia jungis,
Dauidis peragens, & Salomonis opus.
Dauidem, generosa tibi dùm bella geruntur,
Dùm templa instituis, te Salomona probas.

XV. DECEMBRIS.

S. CHRISTIANA *Ancilla, in cuius vili lectulo ægrota Hispaniarum Regina conualuit.*

I.

Quem neque Pæoniis pepulere Machaones herbis,
Quem neque Apollineâ quicquid in arte valet,
Morbus abit, simùl ac tetigit seruile grabatum
Princeps, Attalico quæ fuit ægra toro.
Cur tamen affecto cessit de corpore languor,
Qui curam, & medicas spreuerat antè manûs?
Quem retinet puluinar olens, quem stragula vestis,
Et coquus, & largis vncta culina cibis;
Suetus in auratâ longum requiescere spondâ,
Fugit, vt in vili se videt esse toro,

XVI. DECEMBRIS.

SS. ANANIAS, AZARIAS, & MIZAEL,
Pueri Hebræi in fornace Babylonicâ illæsi.

I.

CErnis vt vndosæ glomerata volumina flammæ,
Spernat in igniuomo fornice tuta Cohors:
Diuinæque vocet festiua in jubila laudis,
Quicquid in immenso sol vagus orbe videt?
Exsuccos macilenta fames tenuauerat artûs,
Dùm renuunt vetitum sobria labra cibum.
Nimirùm reperire vorax, quæ pabula rodat,
In tam jejuno corpore flamma nequit.

Aliud.

II.

Ampla Semiramijs vbi mœnia cocta caminis,
Ostentant magnas nobilis vrbis opes:
Prostabat simulacrum ingens,quod jussa colebat
Turpiter incuruo prona caterua genu.
Tres tamen inflexâ Iuuenes ceruice resistunt,
Isacidum,Iuuenes, stirps animosa patrum.
Hos neque percellit radiati forma metalli,
Hos neque regales continuêre minæ.
Ardet atrox visu, crepitantibus horrida flammis,
Lemniacum fornax vincere jussa focum.
Tres vinclis onerati intrò raptantur Ephebi,
Festinámque vrget turba ministra necem.
Protinùs ad facinus violentus inhorruit ignis,
Et reprimit vires flamma modesta suas.
Quin etiam ampla sui fornax oblita caloris,
Vernum pro flammæ turbine flamen habet.

Nîl juuat inuitis quemquam confidere Diuis,
Nîl juuat aduerso vana mouere Deo.
Si velit, in mediis inerunt quoque frigora flammis:
Frigoréque in medio, si velit, ignis erit.

Illæsis Pueris satellites ignis comburit.

III.

Dùm Pueris parcit, meritos dùm sæuit in hostes,
Non fuit in Pueris sensus, in igne fuit.

XVII. DECEMBRIS.

S. LAZARVS C. *Christo imperante rediuiuus.*
Statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus
pedes & manus. *Ioan.* 11.

I.

LAzare, Christus ait, violati jura sepulchri
Solue, tenebrosas, Lazare, frange fores.
Audiit, & dicto citiùs data jussa capessens,
Surgit ab effossâ puluerulentus humo.
Non tamen implicitum tristi mors syndone soluit;
Ne traheret longas expediendo moras.

Voce magnâ clamauit, Lazare veni foras. *Ibidem.*

II.

Vix te mœsta Soror lacrymis humecta rogarat,
Vt Fratrem expulsâ viuere morte velis,
Vmbrarum fatíque potens, lacrymabile lethum,
Fratris ab exanimi corpore, Christe, fugas.
Cur tamen hunc reliquis discernis ab omnibus vnũ?
Cur magnâ inclamans, Lazare, voce vocas?
Nî facias, proprióque virum nî nomine signes,
Omnis ab audito surgeret vmbra rogo.

Aliud.

III.

Lazarus è tumulo ſurgit, velut vnicus Ales,
Vita reorditur cujus abacta dies.
At licèt exutos rursùm inſinuentur in artûs,
Vna tamen geminos res vetat eſſe pares.
Inter odoratos Phœnix ſe ſuſcitat ignes,
Ploratas ſurgit Lazarus inter aquas.

XVIII. DECEMBRIS.

S. MODESTVS *Hieroſolymitanus Patriarcha vixdùm natus, ad patrem pro Chriſto captiuum in ergaſtulum defertur.*

I.

VIx puer aërias libauerat ætheris auras,
Vix bibulo altores ſuxerat ore ſinûs:
Fertur in indignum tenebroſi carceris antrum,
Hîc vbi jam longùm degerat antè pater.
Nimirùm teneris docuit te Mater ab annis,
Cum patre martyrium Martyre poſſe pati.
Heu puer infelix! ꝰ vtero cur matris abibas,
Debueras alio carcere quando premi?

S. MODESTVS *germana Modeſtiæ ſoboles.*

II.

Si quam olim peperit fœcunda Modeſtia prolem,
Aut nulla, aut proles illa, Modeſtus erit.

XIX. DECEMBRIS.

S. NEMESIVS *M. cum prædonibus morti addictus.*

I.

Christe, tuo dùm cruda tulit pro nomine Martyr
Vulnera, dùm diro funere tortus obit:
Supplicij socios est visus habere latrones,
Supplicij socius sic tibi latro fuit.
Crimen erat dispar, dispar in Martyre causa,
Par tamen in causâ dispare pœna fuit.
Qui tua sectatus fuerat vestigia quondàm,
Nunc moritur tecum funere, Christe, pari.

XIX. DECEMBRIS.

S. MEGENGOR C. *Geldriæ Comes, amisso, quem vnicum habebat, filio, se suáque Christo consecrat.*

I.

Mortalem expertus natum genuisse Megengor,
Qui super antiquæ spes erat vna domûs:
Nulla dedit lacrymis, nec acerbo fræna dolori,
Nulla dedit tanto verba minora viro:
At præreptus vbi est fatis patris vnicus hæres,
Hæredem ex toto destinat esse Deum.
Nè tamen his tabulis te fortè querare relictum,
Hæredem exempli te cupit esse sui.

XX. DECEMBRIS.

S. PHILOGONIVS *è. causarum Patrono Episc. Antiochensis.*

I.

CLamoso qui verba foro jactare solebat,
Et scutum miseris esse salubre reis:

Destitit, & causis melior melioribus instat,
Dùm placidum exorat voce potente Deum.
Mitra caput, Lituúsque manum pastorius implet,
Et tegit extremos Palla verenda pedes:
Quique Deæ Themidis Mystes, jurisque Sacerdos
Antè fuit, Numen sanctius ille colit.
Ergo alios quærant sibi jura profana Patronos:
Sacra sibi tantum vendicat ara virum.

XXI. DECEMBRIS.

S. THOMAS *Apostolus.*
Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum,
non credam. *Ioan. 20.*

I.

QVI manibus palpare Fidē, qui cernere quæris,
Non satis ingenuæ credulitatis habes.
Nì videam, non credam, inquis; pugnantia profers:
Si nescis, cæca est, non oculata fides.

XXI. DECEMBRIS.

S. MEMMIVS *Episc. Catalaunensis saxis obruitur.*

I.

Memmius Antistes dum saxea numina ridet,
Saxorum immissâ grandine penè perit.
At licèt armatâ populus gerat aspera dextrâ,
Asperiora tamen pectore saxa gerit.

XXII. DECEMBRIS.

S. ANASTASIA *M. fragili cymbâ vnà cum aliis MM. imposita feliciter enauigat.*

I.

VEctat Anastasiam senio quassata phaselus,
Certa procellosi præda futura maris.

Non sola hæc, sed plena Deo ductore, carinam
Pressat Anastasiæ plurima turba comes.
Cymba licèt cariosa situ, rimisque fatiscat,
Rideat æquoreas hâc duce sospes aquas.
Nec geminos pia turba vocet, duo sydera, Fratres:
Plùs poterit geminis Fratribus ista Soror.

XXII. DECEMBRIS.

P. PETRVS CANISIVS S. I. *auiculâ diuinitùs missâ pascitur.*

I.

Versat in angusto Senior sua membra grabato,
Et datus ægroto crescit in ore cibus.
Fercula de modicâ porgebat mensa culinâ,
Fercula porrectæ respuit ille dapis.
Fortè cupiuit auem, simul vndique quæritur ales;
Non tamen in toto væniit vlla foro.
Quærere solliciti cœnam cessate, Sodales;
En subiit vestras præda petita domos.
Nam penetrans vacuo Turdus specularia vitro,
Ambiit infirmas térque, quatérque manûs.
Oblatam quid lentus auem captare recusas?
Scilicêt vt viuas, eligit illa mori.
Petre opta quodcúmque voles, nîl vota moratur:
En tribuit cælum quod tibi terra negat.

XXIII. DECEMBRIS.

S. SERVVLVS C. *paralysi laborans Angelorum concentu euocatur ad cœlum.*

I.

STare loco quamuis nequeas, & inutile fulcrum
Te nequeant ægri, Seruule, ferre pedes:
Curris ad empyreum tamen inuitatus Olympum,
Non pede, sed potiùs curris ad astra manu.

XXIII. DECEMBRIS.

S. VICTORIA *V. & M. in suppliciis triumphans.*

I.

Successu diuersa pari decertat Amazon;
Quæ Christo, & bellum quæ duce Marte gerit.
Messuit hæc lauros, dum cæderet agmina ferro,
Lauros, dum ferro cæditur, ista metit.

XXIV. DECEMBRIS.

S. GREGORIVS *voce è cœlo inuitatus obiit ipso Christi nascentis Peruigilio.*

I.

POst varios felice parit quos Marte triumphos,
Post domitos ipso cum Ioue sæpè deos;
Victorem ad meritam, quæ floret in æthere, laurū,
Vox vocat è resono dulciter acta polo.
Nam cum terra pares non ederet absona plausûs,
Par erat, vt Pugili plauderet ipse Polus.

XXIV. DECEMBRIS.

S. THARSILLA *V. à Christo in cœlum inuitatur.*

I.

Ægra palescentem discedere cernit Olympum
Tharsilla, in placido mox moritura toro.
Adfuit æthereis Christus delapsus ab astris,
Adfuit ætherei turba decora Chori.
Ecquid, Christus ait, dudùm Tharsilla moraris?
Cessit Hyems, imber cessit, amica veni.
Illa inquit, Venio, me iam mora nulla retardat;
Quo me cúnque prior duxeris, ibo comes.
Sic ait, & volucres cœli radiantis Ephebos,
Et sequitur Sponsum Sponsa vocata suum.
Alba Columba albos turbæ inuitantis Olores,
Inuitantem Agnum debuit Agna sequi.

XXV. DECEMBRIS.

Nativitas Domini nostri Iesv Christi.

I.

PAnde oculos, nox cæca, tuos, tua lumina pande,
Iamque nouas rutilans explicet æthra faces.
Innumeris astrorum oculis spectacula cerne,
Quæ potuit nunquàm cernere clara dies.
Sol pater astrorum fuerat, nunc ordine verso,
Luna noui solis cernitur esse parens.

Pveri Iesv *cunæ amabiles.*

II.

Numinis ante sacras scelerum reus, accido cunas,
Nec timeo offensi conscius arma Dei:
Nam puer est, risúque volens placatur amico,
Tàm teneræ nequeunt fulmina ferre manus.
Et si ferre velint. saltem non stringat in hostes:
Fascia, nè fulmen stringat, amorque vetant.

Ignem veni mittere in terras, & quid volo,
nisi vt ardeat? *Luc.* 12.

III.

Ecce Deus fragiles hominis tenuatus in artûs,
Paruulus infanti vagiit ore Puer.
In stipulâ, stramenque super, fœnúmque jacebat,
Hunc sua dùm terris edidit alma Parens.
Venerat, arsurum terris vt mitteret ignem;
Debuit his paleis tam sacer ignis ali.

Aliud.

IV.

Et fœnum & stipulam præstat, paleásque volantes;
Nascitur in nostro dùm Puer orbe Deus.

Venerat in terram flammas miſſurus, & ignem:
Commoda materies ignibus illa fuit.

CHRISTVS *inter animalia oritur, inter latrones moritur.*

V.

Et naſcens medium, virtuti hæc debita ſedes;
Et Chriſtus moriens occupat vſque locum.

CHRISTI *ſtabulum in Templum vertitur.*

VI.

Hîc vbi, Chriſte, oreris regnantûm maximeRegum,
Hei mihi! longè alio digne ſedere throno:
Non hara, quod nuper fuerat, ſed nobilis ara;
Non vt erat nuper caula, ſed Aula fuit. (dos,
Nempè hominũ dux ſummus eras, ſummúſq; Sacer-
Ara ſacerdoti conuenit, Aula Duci.

Ad CHRISTVM *naſcentem.*

VII.

Chriſte, veni, cupidæque volens innaſcere menti:
Dulcia quid differs gaudia? Chriſte veni.
Si ſtabulum, ſtabulíque petis, Puer auree, ſordes;
Ergo veni, ſatis eſt ſordidus iſte locus.

CHRISTVS *mediâ nocte oritur.*

VIII.

Nocturnis inerant tranquilla ſilentia terris,
Cùm primùm ex aluo virgine natus abis.
Te licèt in noſtrum pariat feliciter orbem,
Non tamen in lucem te parit alma parens.

CHRISTVS *in cunis vagiens.*

IX.

Cœlituum quin turba taces? cur ſtella refulges?
Stella tace, poſito pectine turba ſile.
Indice nîl opus eſt linguâ, nîl indice flammâ,
Vagitus Pueri nos ſatis antra docent.

Ad CAELITES *de* CHRISTO *in præſepi naſcente.*

X.

Vix genitus caua ſaxa piis vagitibus implet,
Dignus in Attalia veſte iacere Puer:
Semirutóque algens tecti frigentis in antro,
Lactea ſubiecto ſtramine membra terit.
Vos, ô ſyderei, Geniorum cœtus, alumni!
Qui colitis ſpreto vile mapale polo;
Dura laceſſitis mollite cubilia culmis;
Et ſtipulas famulâ ſollicitate manu:
Aut humeris reſecate leues plumentibus alas;
Fulciat vt tenerum culcitra mollis herum.
Tu ne ſperne, Puer, fartum cœleſtibus alis
Puluinum capiti ſuppoſuiſſe tuo:
Nam decet Aligeros, tua quos alit Aula, Miniſtros,
Ceruical Domino ſternere tale ſuo.

De CHRISTI *Natali.*

XI.

Viſus erat nunquàm maior Natalis in orbe;
Natalis nunquam viſus in orbe minor.

Ecce Agnus Dei. *Ioan.* I.

XII.

Paſtores, turbámque inter malè notus agreſtem,
Chriſte, quid in ſtabulo naſceris? Agnus eras.

Stella CHRISTO *nato exoritur.*

XIII.

Poſſet vt obſcuro reperiri Chriſtus in antro,
Accendenda nouo lumine lampas erat.

Ad Herodem.

XIV.

Plurimus ad Domini venit præſepia Paſtor,
Orbis ab extremo limite venit Arabs.
Ipſi etiam Superi cælo venêre relicto,
Quíſque ſuum in cunis pronus adorat Herum:
Tu tamen, Herodes, pigrâ remoraris in Aulâ,
Effrænis, ſtabulum, bellua, nonne times?

CHRISTO *nato fontes olei & balſami erumpunt.*

XV.

Sæcula formoſum rurſus rediiſtis in aurum,
Chriſtus in afflictam dùm venit hoſpes humum:
Nam ſudant oleum quercus, opobalſama rupes,
Et pretioſa nouo flumina rore fluunt.
Sedula, gratuito paſſim quod manat oliuo,
Inſtrue, Virgo, tuam lampada, Sponſus adeſt.

Ego ſum paſtor bonus. *Ioan.* 10.

XVI.

Errantes dum quærit oues per deuia Paſtor,
Et ſtabulum, & ſtabuli rudera iure petit.

CHRISTVS ÆTERNI PATRIS FILIVS.

XVII.

Maiorum titulos, proauitaque ſtemmata iactet,
Cui dedit antiquum clara propago genus:
At tu ſupremo Soboles æquæua Parenti,
Nunc ſata Matre, priùs nata Parente Deo.

Nec Proauos numeras, nec Auorũ insignia præfers,
Quæque solent reliquis grande parare decus.
Vnus Auus, Proauusque tibi, tibi gentis origo,
Vnus nobilitas est tibi tota Pater.
At licèt è nullis ducas Maioribus ortum;
Stirpe tamen nullus nobiliore fuit.

Natali CHRISTI *die viginti millia Christianorum intra Templi ambitum Nicomediæ combusta, ne Ioui sacrificarent.*

XVIII.

Quâ tu lucè oreris vitales, Christe, sub auras,
Quo nobis paritur vindice certa salus;
Sacrilego scelerata Ioui nè turba litaret,
Christiadum accenso conflagrat igne cohors.
Regia festiuus cunabula nuntiat ignis,
Debita Natali sunt ea signa tuo.
Iam fax irradians latè splendebat in alto
Æthere, quæ nati nuntia Regis erat.
Æmula terra suos feliciter excitat ignes;
Festiuo rutilus cùm micat igne Polus.

CHRISTO *nascente, tellus stillauit oleo.*

XIX.

Athletis ceroma parat, dùm prouida rerum
Christiadis oleum pingue ministrat humus:
Dulcia mollitæ sudant opobalsama quercus,
Leniat vt medicus vulnera nostra latex.

Herodes CHRISTO *insidians.*

XX.

Regale in solium vertit præsepia Christus,
Quem colit incuruo rustica turba genu:
Prouidus ad stabulum Pastores aduocat Agnus,
Non procul Herodem senserat esse lupum.

VERBVM *infans.*

XXI.

Te nascente silent mutis Oracula Templis,
Hæc te non decuit, Christe, tacente loqui.

VIRGO DEVS.

XXII.

Virgo Deus voluit Genitrice è Virgine nasci,
Virgo Deus voluit viuere, Virgo mori.

Puer IESVS *in gremio Matris.*

XXIII.

Dùm collo applicitus Matris Puer vbera pressat,
Et roseo niueos dùm terit ore sinûs:
Lac fragis, ostróque niues, eborísque corallum
Miscuit, & puris lilia pura rosis.

XXV. DECEMBRIS.

S. EVGENIA. *V. in veste virili sylua incola.*

I.

Induit Alcides olim cùm veste puellam,
At tu mutatâ veste, Puella, virum:
Et nemore in medio validæ sine robore clauæ,
Tuta lupos inter viuis, & inter apros.
Mascula, fœmineos, Virgo, deponis amictûs,
Vt tener in tuto sit tuus vsque pudor.
Semi-vir Alcides, victricis amore puellæ
Captus, in infamem transtulit arma colum.
Herculeos alii referant pleno ore triumphos;
Tu mihi, tu posthàc Hercule maior eris.

Verſutum EVGENIAE *conſilium.*

II.

Quàm catus Eugeniæ pudor eſt! quã callida virtus!
Vir fit, vt effugiat Virgo pudica virum.

XXVI. DECEMBRIS.

S. STEPHANVS *Martyr ſuo nomine Coronatus.*

I.

CVm tot rettuleris ſuperato ex hoſte triũphos,
Qui te ſaxorum duriter imbre petit:
Te naſcente, tuum nomen quicúnque coronat,
Ille futurorum providus Augur erat.

Supplicij inſtrumenta in ornatûs vertit.

II.

Ne ſine re quis ferre putet te nomen inane,
Diue, tui certum nominis omen habes:
Nam dùm carnificum te ſaxeus obruit imber,
Sponte tuum viſa eſt cingere gemma caput.
Nimirùm tortorum animos cæcauerat error,
Ne decus aſpicerent, Martyr honeſte, tuum.
Saxa tibi gemmæ, tibi pulchra corallia ſanguis;
Sicque lapillus erat quod lapis antè fuit.

Lapidibus obruitur.

III.

In cœlum quæ ſaxa volant? lapidoſa Gigantes?
Fortè iterum rupto carcere bella mouent.
Æmula terrigenis tortorum inſania monſtris,
Proiicit in Stephanum ſaxa, grauéſque molas.
Hoc dùm permolitur lapidum ſub pondere, Chriſti
Frumentum Stephanus ſe quoque iure vocet.

Ecce video cælos apertos. *Act.* 7.

IV.

Macte animis, Heros, attolle in prælia vires;
Mox domito palmam victor ab hoste feres.
Te Christus super astra vocat, vastáque ruinâ
Esse vides patuli mœnia fracta Poli.
Ingredere assurgens, aditum tibi sydera præbent,
Et tibi saxa gradus agglomerata dabunt.

STEPHANVS *nouus Orpheus.*

V.

Dùm Stephanus mollire animos dulcedine vocis
Tentat, & imperio subdere, Christe, tuo:
Æmulus antiquo, fidibus dùm luderet, Orpheo,
Ad te nîl præter saxa, ferásque trahit.

Domine, nè statuas illis hoc peccatum. *Act.* 7.

VI.

Non pro se Stephanus, sed pro tortoribus orat,
Tortores, non se, nouerat esse reos.

Obdormiuit in Domino. *Act.* 7.

VII.

Obdormit Stephanus, dulcíque sopore quiescit,
Saxorum effultus mole recline caput.
Quàm placidũ ceruical erat! quàm culcitra mollis,
Tam citò quæ somnum conciliare potest!

Ad D. STEPHANVM.

VIII.

Tu nè cede malis, dabitur sua meta dolori,
Est tibi vita labor, mors tibi somnus erit.

XXVII. DECEMBRIS.

S. IOANNES EVANGELISTA qui ſupra pectus Domini in cœnâ recubuit. *Ioan.* 12.

I.

QVi priùs accumbens epulis, cœnæq; ſupremæ,
Sederat in Domini ſarcina grata ſinu;
Quique poli, de more Aquilæ, ſuper alta volarat,
Progeniem æquæuam dùm docet eſſe Patri,
Decurſæ numeroſa ſenex poſt tempora vitæ,
Annorum tardo pondere preſſus erat.
Ergo iterùm placidæ fruiturus pace quietis,
Ambiit expertos rursùs adire ſinûs.
Lazarus huic primæ ſortis concedit honores:
Ille ſinum Abrami preſſerat, iſte Dei.

Mulier, ecce filius tuus. *Ioan.* 19.

II.

Cerneret Vnigenam dùm fixum in ſtipite Mater,
Icta pios gladio transfodiente ſinûs;
Sic Natum dicentem audit: Iam deſino, Mater,
Eſſe tuus, ſed erit Filius iſte tuus.
Hæc ait, & nutu Iuuenem deſignat amatum,
Auſus erat duram qui prope ſtare Crucem.
Deſignat nutu Iuuenem, non indice dextrâ;
Vincula nam geminas impediêre manûs.
Illa nihil, tacitúmque premens ſub corde dolorem,
Triſtis in oppoſitam lumina fixit humum.
Hei mihi! quæ rerum pateris diſpendia, Mater!
Eſſe parens hominis incipis, antè Dei.

Cum Perdice cicure ludens animum relaxat.

III.

Dùm regeret populoſam Epheſũ venerabilis Exul,
Qui ſacra ex ipſo fonte fluenta bibit.
Manſuetæ colludit aui, mulcétque volentem,
Innocuis miſcens ſeria ritè iocis.
Si qua ſuo peccans deliret ab ordine penna,
Hanc proprio Senior reddit, vt antè, loco.
E ſyluâ Venator adeſt, & anhelus eundo
Contiguum carpit puluerulentus iter.
Dextra manus leporem, laxum gerit altera neruũ,
Ex humeris pharetræ pendet inermis onus.
Conſtitit, atque oculos ludentis in ora reflectens:
Luſus, ait, tantum dedecet ille virum.
O Fili! bona verba rogo, ſed fare viciſſim,
Otia, Diuus ait, cur tuus arcus agat?
Ille refert: Si nunquam arcûs ego tendere ceſſem,
Protinùs enerues neruus, & arcus erunt.
At Senior Venantem iterùm compellat, & aptâ
Retibus implicuit calliditate ſuis:
Arcubus interdum ſi conuenit otia feſſis,
Conuenit & feſſis artubus illa dari.

Aquila D. IOANNIS *inſigne.*

IV.

Diue, volantem Aquilam, depicta inſignia ſumis,
Sic tua ſit volucris, quæ Iouis ales erat.

XXVIII. DE-

XXVIII. DECEMBRIS.

SS. INNOCENTES *MM. ab Herode occisi.*

I.

CVR nascente Deo, soboles denascitur infans?
Non benè Natali conuenit ille dolor.
Nimirùm Sol Christus erat; vos sydera, Pupi,
Sole recèns orto, protinùs astra cadunt.

SS. INNOCENTES *Martyrum flores.*

II.

Lilia materno nuper candentia lacte,
Purpureas sanguis vos facit esse rosas.
Fama olim fuerat flores è sanguine nasci,
Nascitur ex ipsis floribus ecce cruor.

Pueri INNOCENTES *funere immaturo prærepti.*

III.

Rex Solymæ audierat nati cunabula Regis,
Quem castum enixæ Virginis vber alit.
In furias & in arma ruit, timidúsque veretur,
Sceptra tener rapiat nè Solymæa Puer.
Scilicèt vt vasto Sol vnus in æthere regnat;
Non patitur Reges vna corona duos.
Ergo iubet plenas numeroso funere cunas,
Proh facinus! Pueris esse feretra suis.
Vulneribus vix membra patēt, nec flebilis amplum
Repperit in minimo corpore plaga locum:
Heu! Pueri primo genitricis ab vbere rapti,
Nescierant vitam, cùm didicêre mori.
Parua phalanx prærepta priùs quàm luce fruaris,
Viuere quàm liceat, cogeris antè mori.
I tamen, astra super fuerat tibi lactis eundum
Tramite, sanguineâ sed tamen ito viâ.

Pueri INNOCENTES *Christo nascente occisi.*

IV.

Vt Pueri vidêre tuas, præsepia, cunas,
Et Domino famulos molliùs esse suo:
Erubuere genis primùm, mox sanguine fuso,
Transijt illapsus corpus in omne rubor.

Aliud.

V.

Immatura neci, primæque in limine vitæ,
Occidit immerito funere rapta Cohors.
Námque super culmos durùm tibi, Christe, iacenti
Cederet vt cunas, ambijt illa mori.

Defuncti sunt, qui quærebant animam pueri. Matth. 2.

VI.

Herodes animam Pueri dum perfidus vltor
Quæreret, infelix perdidit ipse suam.

Futurum est vt Herodes quærat Puerum ad perdendum eum. Matth. 2.

VII.

Cur tibi tantus amor, tanta est reperire libido,
Si tamen inuentum perdere Numen aues?

Caduntur INNOCENTES *Christo nascente.*

VIII.

Vix Deus humanos pueri tenüatus in artûs,
Visus erat nostro paruus in orbe Puer:
Bethlemios latè Pueros furiata tyrannis
Impetit, & cunis bella, necémque parat.
Cur pueros perimit Christo nascente satelles?
Debuerant, dùm Sol nascitur, astra mori.

Herodis Epitaphium.

IX.

Te quondàm potuit ridere ſuperſtite nemo ;
Poſt tua iam nemo funera flere poteſt.
Quod ſerò pereas, teter graſſator, id vnum,
Quod de te Infantes iure querantur, habent.
Quam Pueri ſenſêre rudes, viduæque parentes,
Illa fuit cunis debita pœna tuis.
Si priùs impreſſo cecidiſſes victima ferro,
Victima tartareis debita iure focis :
Non viſus foret enſe Puer fodiente cruorem
Fundere, non lacrymas fundere viſa parens.
At tumulum qui præter abis, abſiſte viator,
Ne crudelis adhuc bellua virus agat.
Vſque adeo irarum ſpirans exarſerat æſtu,
Ardeat vt tectis ignibus ipſe cinis.

In terrâ pax hominibus. Luc. 2.

X.

Cùm tantus Pueris belli ſuperingruat horror,
Cur pacem in terris nuntiat eſſe polus ?

CHRISTVS *in Ægyptum profugus.*

XI.

Quanquã abeat Pharias Chriſtus fugitiuus ad oras,
Nè tamen indecori cedere Marte putes.
Exuperat fugiendo Deus, victórque recepto
Inclyta Parthorum prælia more gerit.

CHRISTVS *in Ægypto.*

XII.

Non velut antè, ſuis illuſa Ægyptus in hortis,
In ſtabulo natum ſed ſciat eſſe Deum.

S. IOSEPHVS *ad Herodem*.

XIII.

Nos penitùs toto profugos cur exigis orbe?
Cur petis armatâ vulgus inerme manu?
Tres sumus imbelles numero, sine viribus Infans,
Iosephusque senex, & sine fraude Parens.
Gloria nulla tibi victa est Virguncula, victus
Nulla senex, victus gloria nulla Puer.
In nostris tibi nullus honor, vel adorea damnis;
At tibi seruati gloria magna sumus.

In somnis D. IOSEPHO *ac tribus Magis apparent Angeli.*

XIV.

Siue Magos adeant, seu te, Iosephe, Tonantis
Cælicolæ peragant vt data iussa Dei:
Vix furtiuæ audent modò se committere nocti,
Quos priùs in mediâ cernere luce fuit.
Cùm Deus aufugiat, nunquid lanionis iniquas
Ipsi etiam Superi pertimuêre minas?

XXVIII. DECEMBRIS.

B. FRANCISCVS SALESIVS *Geneuensium Episc. in imagine depictus.*

I.

Aspice tranquillo faciles in Præsule vultûs;
Et formam imperio dixeris esse parem.
Explicat ingenuam sincera modestia frontem,
Pura verecundo ridet in ore Charis.
Oris ebur, frontísque niues, ostrúmque genarum,
Pinxit Apelleâ nobilis arte manus.
Sed labor artificis species tantùm extima, nam quod
Intùs erat, pietas fingere sola potest.

XXIX. DECEMBRIS.

S. THOMAS *Cantuarienſis Epiſc. ardente Londino, vrbe patriâ, naſcitur.*

I.

NAſceris ipſa inter flammarũ incendia, nè quis
Obſcuro genitum te putet eſſe loco.

Ante aras obtruncatur.

II.

Siſte tuos rabioſa cohors; ah! ſiſte furores,
Nec ſacra ſacrilegâ pollue Templa manu.
Si tamen hæc animo ſtabilis ſententia ſedit,
Præſul vt impacto ſaucius enſe cadat:
Occidat ante ſuas, quibus antè litauerat, aras,
Hoſtia iam factus, qui modò Flamen erat.

XXIX. DECEMBRIS.

S. DAVID *Rex & Propheta, Arcum, & Gladium ab amico Ionatha accipit.* 2. Reg. cap. 18.

I.

Mos in amore nouus! gladium largitur, & arcum
Spicula tantùm aliàs qui dare norat amor.

Abſalonis in patrem DAVIDEM *rebellis, crines.*

II.

Plurimus inſequitur dùm me perniciter hoſtis,
Iámque mei propior terga fatigat equi;
Quercetum per agreſte feror, zephyróque iocante,
Diſperſæ fluitant per mea colla comæ.
Cæſariem mirata Drias, luſûſque comarum,
Oppoſuit noſtræ brachia longa fugæ.

Nam tulit implicitis, laquei me more, capillis,
Pensile, dum sonipes præterit, arbor onus.
Ambierat patriam capitis coma flaua coronam;
Debuit infidum prima piare nefas.

Ad DAVIDEM *Pastorem.*

III.

Pone pedum, cape sceptra manu regalia. Pastor,
Caula tibi fuerat, nunc erit Aula, domus.
Quíque greges ouium, sed iniquâ sorte regebas,
Sorte greges hominum nunc meliore reges.

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte. Psalm.

IV.

Nocturnis plorat fidicen Iesseius horis,
Nec vacat à lacrymis hora diurna suis.
Tota superfusis natat humida culcitra nimbis,
Vnda sitim recreat, recreat vnda famem.
Felices lacrymæ! felicia pocula! felix
Quisquis ab hoc sitiens sæpiùs amne bibis!

XXX. DECEMBRIS.

S. PHILETAERVS *M. flammas inter & feras illæsus.*

I.

RAptatur medios pulcher Philetærus in ignes
Suppliciũ hoc pietas, hoc tulit alma Fides.
Excoctum vt foculis rutilantius emicat aurum,
Purior innocuo Martyr ab igne redit.
Traditur impastæ tigridi lacerandus, & vrsis,
Sed tenuere suas tigris & vrsa minas.
Res adeò miranda foret, cui flamma pepercit,
Nî quoque trux rabidæ parceret ira feræ.
Sed magis horrificum, tortor dum barbare vincis,
Velle homines flammas vincere, velle feras.

XXXI. DECEMBRIS.

S. SYLVESTER *summus Pontifex, balnea è puerorum sanguine, ad Lepram curandam Constantino dissuadet.*

I.

IAm Constantiades Regali à corpore fœdam
  Destinat infantum cæde fugare luem.
Syluester caput immensi, qua panditur, orbis,
  Intrepido Regem pondere vocis adit.
Grande nefas, Auguste, paras; nullisque piandum,
  Te licèt Oceanus lauerit omnis, aquis.
An nouus Herodes turbæ nîl tale merentis
  Cæde, nouercales vis scelerare manus?
Quin eris horridior longè, nam cernere coràm
  Quod iussit fieri, noluit ille nefas.
Et mentem, & totum tabo maculabere corpus,
  An decet hæc humeros purpura digna tuos?
Ah! nimio pretiosa salus tibi sanguine constat,
  Si vitam innumeris cædibus vnus emas.
Lactantûm lacrymis, lactentûm parce cruori,
  Et meliora, precor, balnea purus ama.
Vnicus effuso te sanguine februet Agnus,
  Qui maculas hominum, qui scelus omne luit.
Ah! malè multiplicis tibi cæde litabitur Agni!
  Vnicus optatam si dare possit opem!

XXXI. DECEMBRIS.

S. COLVMBA *V. & M. in lupanar tracta ab vrso defenditur.*

I.

Flebat ad obscœnum Virgo raptata lupanar,
  Proh pudor! Idaliæ virgo litanda lupæ.
Ecce furens animi Princeps irrumpit amator,
  Quem malè præ reliquis Virginis ardor agit.

Illa nihil præter lacrymas triſtata profudit,
Hoc clypeo tutus ſi queat eſſe pudor.
Nîl lacrymæ mouêre homines, ſed bellua vindex
Irruit, & cauſam Virginitatis agit.
Námque verecundæ ſortem miſerata puellæ,
Diſſipat infames vrſa patrona lupos.
Pone modum lacrymis, ſuſpenſo pone timori,
Quid trepidas vano tuta Columba metu?
Nîl eſt quod timeas caſti diſpendia floris,
Si tegat iſta tuum, Virgo, catella latus.

Gladio cæſa capite minuitur.

II.

Qui lacerat teneram durâ feritate Columbam,
Ille vel accipiter, vel mihi miluus erit.

Ad Venerem, cui columbæ dicantur.

III.

Quære aliam, Venus infamis, tibi quære columbã,
Iſta Columba tuas non volat inter aues.

Quis dabit mihi pennas ſicut Columbæ? Pſal.

IV.

Quis mihi candidulæ pennas det habere columbæ,
Vt ſuper aſtra comes, quò volat illa, volem?

XXXI. DECEMBRIS.

S. IOSEPH *Patriarcha ex impura dominæ manibus relicto pallio aufugit.*

I.

Illecebras dominæ puer auerſatus amantis,
Abiicit inceſtâ pallia tacta manu.
Ampliùs vrſiſſet Meretrix, cùm veſte relictam
Ipſam etiam pellem depoſiturus erat.
Qualis eris pugnando, Puer; retuliſſe triumphum,
Hoſte triumphato, ſi fugiendo potes?

FINIS.





INDEX ANNI SACRI POETICI,

Diuorum ordine Alphabetico complectens Nomina, quorum in hoc Semestri canuntur Elogia.

TOMVS SECVNDVS.

A

SS. Abdon & Sennen mm. 30. Iul. 41
Abibus m. 15. Nou. 178
Abrahamus Patriarcha. 9. Oct. 134
Abundantius m. 2. Aug. 80
Adrianus m. 8. Sept. 94
Ægidius Abbas. 1. Sept. 89
Afra m. 5. Aug. 54
Agapitus m. 18. Aug. 70
Agapitus m. 21. Aug. 74
Agnellus Abbas. 14. Dec. 226
B. Agnes Augusta. 14. Dec. 226
Agricola m. 4. Nou. 16
Aichardus Abbas. 15. Sept. 9
Aigulphus m. 3. Sept. 90
Albertus C. Carmel. 7. Aug. 58
Alexander m. 12. Dec. 219
Alexius C. 17. Iul. 21
Amatus Episc. 31. Aug. 88
Ambrosius Mediolanensis Episc. 7. Dec. 212
Anacletus Pont. m. 13. Iul. 15
Ananias, Azarias & Mizael, pueri Hebræi. 16. Dec. 228
Anastasia m. 22. Dec. 232
Anatolia V. & m. 9. Iul. 12
Andreas m. 17. Oct. 140
Andreas Fundanus. 6. Nou. 168
Andreas Apostolus. 30. Nou. 197
Angelus Custos. 1. Oct. 120
Anna Matris Virginis Mater. 6. Iul. 37
Anno Episc. Coloniensis. 4. Dec. 204
Antoninus Augustinian. Eremita & m. 2. Sept. 98
Apollinaris Episc. & m. 25. Iul. 34
Apollinaris Valentiniensium Episc. 5. Oct. 125
Ardanus Lindisfarnensis Episc. 31. Aug. 88
Arnulphus Episc. Augustodunensis. 15. Aug. 66
Arsenius Eremita. 19. Iul. 23
Assumptio Beatæ Mariæ Virginis. 15. Aug. 65
Athenodorus m. 16. Iul. 19
Audoenus Rothomagensis Episc. 24. Aug. 77
Audomarus Episc. Moriensis. 9. Sept. 94
Augustinus Hipponensis Episc. 28. Aug. 81
Aurelius m. 27. Aug. 80

B

S. Bacchus m. 7. Oct. 119
Barbara V. & m. 4. Dec. 204
Barlaamus m. 19. Nou. 184
Bartholomæus Apostolus 24 Aug. 76
Bassa Coniugata. 21. Aug. 74
Bauo C. 1. Oct. 118
Rob. Bellarminus è Societate Iesv. 17. Sept. 101
Benignus Sacerdos & m. 1. Nou. 164

Bernardus C. 20. Aug. 71
BerulaPuer & m. 18. Nou. 183.
Bonauentura, Franciscanus, Episc. Albanensis & Cardinalis. 14. Iul. 16
Bononius Abbas. 30. Aug. 87
Brigitta V. 23. Iul. 31
Brigitta Vidua. 8. Oct. 131
Bruno Carthusianorum Fundator. 6. Oct. 126
Bruno Episc. Coloniensis. 11. Oct. 135

C

S. CAEcilia V. & m. 22. Nou. 187
Cæsarius Arelatensis Episc. 27. Aug. 81
Callistratus. 27. Sept. 111
P. Petrus Canisius Soc. IESV. 22. Dec. 233
Caprasius m. 20. Oct. 147
Carolus Boromæus Cardinalis. 4. Nou. 165
Cassianus Episc. & m. 13. Aug. 62
Catharina V. & m. 25. Nou. 191
Charitas 1. Aug. 48
Christiana Ancilla. 15. Dec. 221
Christina V. & m. 24. Iul. 32
Christophorus m. 25. Iul. 33
Chrysanthus m. 25. Oct. 155
Chrysogonus m. 24. Nou. 190
Clara V. 12. Aug. 61
Clemens S.P. & m. 23. Nou 181
Clemens Episc. Metensis. ibid.
Colmannus m. 13. Oct. 136
Columba V. & m. 31. Dec. 251
Columbanus C. 21. Nou. 186
Commemoratio omnium fidelium Defunctorum. 2. Nou. 163
Commemoratio Crucifixi Berythensis. 9. Nou. 171
Conceptio. *Vide* Virgo.
Conradus Episc. Constantiensis. 26 Nou. 193
Cordula V. & m. 22. Oct. 152
Cosma & Damianus mm. 27. Sept. 112
Cunibertus Coloniensis Episc. 12. Nou. 176
Cyprianus Carthaginensis Episc. & m. 12. Oct. 135
Cyriacus m. 8. Aug. 58

D

S. DAniel Propheta. 21. Iul. 28
Daniel Stylita. 11. Dec. 219
Daria m. 25. Oct. 155
Dauid Rex & Propheta. 29. Dec. 249
Decollatio S. Ioan. Bapt. 29. Aug. 82
Dedicatio B. Mariæ ad Niues. 5. Aug. 51
Delphina Coniugata. 27. Sept. 112
Demetrius m. 9. Oct. 133
Demetrius m. 26. Oct. 156
Desiderius Altissiodorensis Episc. 27. Oct. 157
Dionysius Areopagita. 9. Oct. 131
Dominicus C. 4. Aug. 51
Dominicus Loricatus. 14. Oct. 137
Donatus Aretinus Episc. 7. Aug. 57
Septem Dormientes Fratres. 27. Iul. 39

E

S. EDmundus Cantuarienfis Epifc. 178
Edmundus Angliæ Rex & m. 20. Nou. 185
Eleuterius Abbas. 6. Sept. 92
Elizabetha Lufitanorum Regina. 4. Iul. 8
Elizabetha Vidua, filia Regis Hungariæ, 19. Nou. 183
Elzearus Comes 27. Sept. 112
Emericus C. filius Regis Anglorum. 4. Nou. 167
Engelbertus Colonienfis Epifc. & m. 7. Nou. 169
Epimachus m. 12. Dec. 229
Ermelindis V. 29. Oct. 159
Euariftus P. m. 26. Oct. 156
Eucherius Lugdunenfis Arch. 16. Nou. 180
Euerardus C. 15. Dec. 227
Eugenia V. 25. Dec. 240
Eulalia V. & m. 10. Dec. 217
Euerrius Epifc. Aurelianenfis. 7. Sept. 93
Euphemia V. & m. 16. Sept. 99
Euftachius m. 20. Sept. 103
Exaltatio S. Crucis. 14 Sept. 97

F

S. FElicitas m. 23. Nou. 190
Felix m. 30. Aug. 86
Felix m. & Epifc. Africanus 24. Oct. 154
Ferreolus m. & miles. 18. Sept. 103
Fides. 1. Aug. 48
Fides m. 20. Oct. 147
Firmina V. & m. 24. Nou. 191
Firminus Ambianenfis Epifc. 25. Sept. 119
Firmus m. 9. Aug. 59
Florentinus Epifc. Argentinenfis. 7. Nou. 170
Florus Epifc. 4. Nou. 167
Francifcus Borgia Soc. IESV. 1. Oct. 119
Francifcus Affifias. 4. Oct. 123
B. Francifcus Salefius Geneuenfium Epifc. 28. Dec 248
Septem Fratres Martyres filij S. Felicitatis item m. 10. Iul. 12

G

S. GAllus Claromontanus Epifc. 1. Iul. 4
Gallus Abbas. 16. Oct. 139
Genefius Scriba. 25. Aug. 79
Genefius Mimus. 25. Aug. 79
Genefius Epifc. Lugdunenfis. 1. Nou. 162
Geraldus m. 7. Oct. 129
Geraldus C. 13. Oct. 136
Gerardus Hungariæ Epifc. & m. 24. Sept. 109
Germanus Epifc. Altiffiodorenfis. 31. Iul 46
Goar C. 6. Iul. 9
Godeleua m. 6. Iul. 10
Goerricus Metenfis Epifc. 19. Sept. 102
Golinducha m. 11. Iul. 13
Gorgonius m. 9. Sept. 95
Gregorius Thaumaturgus Neocæfarienfis Epifc. 17. Nou. 180
Gregorius 24 Dec. 234
Gualterus Abbas. 12. Iul. 14
Guido C. 12. Sept. 96

H

S. HEnricus Imperator. 14. Iul. 17
Hieronymus Ecclefiæ Do-

ctor. 30 Sept. 116
Hilarion Abbas. 21. Oct. 148
Holaus Rex Noruegiæ & m. 29. Iulij. 40
Homobonus C. 13. Nou. 176
Hyacinthus C. 16. Aug. 68
Hyppolitus m. 13. Aug. 63

I

Iacobus Nisibenus Episc. 15. Iulij. 18
Iacobus Apostolus. 25. Iulij. 34
Iacobus Intercisus. 27. Nou. 195
Ianuarius Episc. Beneuentanus. 19. Sept. 102
Ignatius de Loyola. 31 Iulij. 42
Impressio Stigmatum D. Francisci. 17. Sept. 101
Innocentes Martyres. 28. Dec. 245
Inuentio S. Stephani Protomartyris. 3. Aug. 50
Ioannes Gualbertus Abbas. 12. Iulij. 14
Ioannes Cuzubita. 2. Oct. 122
Ioannes C. 10. Oct. 134
Ioannes Bonus C. 22. Oct. 151
Ioannes Euangelista. 27. Dec. 243
Iodocus C. Angliæ Regis filius. 12. Dec. 220
Ionas Propheta. 21. Sept. 105
Ioscius C. 30. Nou. 198
Ioseph Patriarcha. 31. Dec. 252
Iosue Propheta. 1. Sept 89
Irenæus m. 2. Aug. 80
Iustina V. & m. 13. Iulij. 15
Iustina V. & m. 26. Sept. 101
Iustina & Ruffina VV. & mm. 19. Iulij. 22
Iustus m. 6. Aug. 56
Iustus Lugdunensium Episc. 2. Sept. 90
Iustus m. 18. Oct. 146
Iuuenis Ægyptius Anonymus m. 11. Dec. 221

L

Lambertus Traiectensis Episc. 17. Sept. 100
Landfrancus Episc. Cantuariensis. 3. Iulij. 7
Landrada V. 8. Iulij. 11
Largus m. 8. Aug. 58
Laurentius m. 10. Aug. 60
Laurentius Episc. Dublinensis. 14. Nou. 177
Lazarus Christo imperante rediuiuus. 17. Dec. 229
Leodegarius Episc. Augustodunensis & m. 2. Oct. 121
Lucas Euangelista. 18. Oct. 140
Lucia V. & m. 13. Dec. 220
Ludouicus Episcopus Tolosanus. 19. Aug. 70.
Ludouicus Galliarum Rex 25 Aug. 77
Lupus Trecensis Episc. 24. Iulij. 40

M.

Septem fratres Machabæi. 1. Aug. 48
Macharius Romanus C. 23. Oct. 153
Magdalena Pœnitens. 22. Iulij. 29
Malchus Conf. 21. Oct. 148

Mamas m. 17. Aug. 69
Marcellus Episc. Parisiensis. 1. Nou. 162
Margareta V. & m. 20. Iulij. 24
Maria deVictoria Lepantica. 7. Oct. 128
Martha V. 29. Iulij. 41
Martinianus & Processus. 2. Iulij. 7
Martinus Turonensis Episc. 11. Nou. 173
Martinus Pont. m. 12. Nou. 175
Matthæus Apostolus & Euangelista. 21. Sept. 104
Mauritius Andegau. Episc. 13. Sept. 69
Mauritius m. 22. Sept. 106
Maxellendis V. & m. 13. Nou. 177
Megengor C. 19. Dec. 231
Memmius Episcopus Catalaunensis & M. 21. Dec. 232
Mennas m. 10. Dec. 217
Michael Archangelus. 29. Sept. 114
Modestus Hierosolymitanus Patriarcha. 18. Dec. 230
Moses Legislator & Prophe-. 4. Sept. 91
Myro Episc. 8. Aug. 59

N

S. NAgranos inter Martyres Puer quinquennis m. 24. Oct. 154
Narcissus Hyerosolimitanus Episc. 29. Oct. 158
Natalia m. 27. Aug. 80
Natiuitas B. MARIAE Virginis. 8. Sept. 93
Natiuitas Domini Nostri IESV CHRISTI. 25. Dec. 235
Nazarius & Celsus mm. 28. Iulij. 39
Nectarius C. 9. Dec. 217
Nemesius m. 19. Dec. 231
Nicasius Rhemensis Episc. 1. Oct. 226
Nicetius Treuerensis Episc. 1. Oct. 118
Nicolaus Episcopus Myrensis. 6. Dec. 210
Nympha. m. 10. Nou. 172

O

S. OSualdus Rex Anglorum. 5. Aug. 54
Othilia V. 13. Dec. 224

P

S. PAntaleon m. 27. Iulij. 38
Paphnutius m. 24. Sept. 110
Pastor m. 6. Aug. 56
Pelagia Pœnitens 8. Oct. 131
Petrus ad Vincula. 1. Aug. 47
Petrus Episc. Aganiensis. 3. Aug. 50
Petrus Alexandrinus Episc. 26. Nou. 193
Petrus Chrysologus Episc. Rauennas. 2. Dec. 199
Philaritus Conf 1. Dec. 199
Philetærus m. 30. Dec. 250
Philogonius Episc. Antiochensis. 20. Dec. 231
Phocas Olitor. 22. Sept. 107
Pius P. M. 11 Iulij. 13
Placidus m. 5. Oct. 126
Plato m. 22. Iulij. 28
Præsentatio B. MARIAE Virginis. 21. Nou. 183
Proba V. 5. Sept. 92

Processus & Martinianus. 2. Iulij. 7
Procopius m. 8. Iulij. 11
Pulcheria Augusta & V. 10. Sept. 95

Q

S. Quatuor Coronati Martyres. 8. Oct. 130
Quatuor Coronati. 8. Nou. 170
Quiriacus Anachoreta. 29. 115

R

Remigius Rhemensis Episc. 1. Oct. 117
Respicius m. 10. Nou 172
Richardis Augusta. 13. Sept. 97
Robertus de Arbriscellis C. 30. Aug. 87
Rochus Alexicacus. 16. Aug. 67
Romanus m. 18. Nou. 182
Rosa V. 4. Sept. 91
Rosalia V. & m. 16. Iulij. 19
Ruffina & Secunda Sorores, VV. & mm. 10. Iulij. 13
Ruffina & Iustina VV. & mm. 19. Iulij. 24
Rumoldus 1. Iulij. 3
Rusticus m. 9. Aug. 59

S

S. Sabbas Abbas. 5. Dec. 209
Festum omnium Sanctorum. 1. Nou. 161
Saturninus Tolosatium Episc. 29. Nou. 196
Secunda & Ruffina, Sorores, V. & m. 10. Iulij. 13
Sennen & Abdon mm. 30. Iulij. 41
Serenus Seruus. 2. Oct. 121
Sergius m. 7. Oct. 129
Seruulus C. 23. Dec. 233
Seuerinus Boëtius m. 23. Oct. 152
Sidonius Apollinaris Aruernorum Episcopus. 23. Aug. 75
Simeon Salus. 1. Iulij. 4
Simeon Stilites. 3. Sept. 91
Simeon Confess. 8. Oct. 130
Simon & Iudas Apostoli, 28. Oct. 158
Smaragdus m. 2. Aug. 58
Spes. 1. Aug. 48
Spiridion Cypri Episc. 14. Dec. 225
B. Stanislaus Koscha Societatis IESV. 14. Aug. 63
Stephanus P. & m. 2. Aug. 49
Stephanus Episc. Diensis. 7. Sept. 93
Stephanus m. 28. Nou. 196
Stephanus Protomartyr. 26. Dec. 241
Susanna m. 11. Aug. 60
Syluester Intercisus, 26. Nou. 194
Syluester S. P. 31. Dec. 251
Symphorianus m. 26. Iulij. 37
Symphorianus m. 11. Aug. 61
Symphorianus m. 22. Aug. 74
Symphorosa m. 18. Iulij. 22

T

S. Tharsilla V. 24. Dec. 234
Thecla V & m. 23. Sept. 107
Theodista V. 10. Nou. 173
Theodora Pœnitens. 11. Sept. 95

Theodorus m. 9. Nou. 171
Theodote m. 2. Aug. 49
Theodolus C. 3. Dec. 203
Theresia V. 15. Oct. 138
Thiemo Episc. Salisburgensis & m. 28. Sept 113
Thomas Apostolus. 21. Dec. 232
Thomas Cantuariensis Episc. 29. Dec. 249
Tiberius m. 10. Nou. 172
Transfiguratio D. N. IESVS-CHRISTI. 6. Aug. 55
Triphon m. 10. Nou. 172

V

S. VAlentina V. & m. 25. Iunij. 36
Varus m. 19. Oct. 146
Vdalricus Episc. Augustanus. 3. Iulij. 8
Venceslaus Dux Bohemiæ & m. 28. Sept. 114
Vemfrida V. & m. 3. Nou. 164
Victor m. 21. Iulij. 27
Victoria V. & m. 23. Dec. 234
Villibaldus Eystetensis Episc. 7. Iulij. 10
Virgo Deipara sine labe concepta. 8. Dec. 215
Visitatio B. MARIAE Virginis. 2. Iulij 5
Vitalianus Episc. Capuanus. 17. Iulij. 20
Vitalis m. 4. Nou. 165
Villelmus Abbas. 5 Iulij. 9
Volfrangus Ratisponensis Episc. 31. Oct. 159
Vrsula V. & m. 21. Oct. 149
VVilgefortis V. 20. Iulij. 26

X

XAuerius Indiarum Apostolus 2. Dec. 200
Xistus Pont. m. 6. Aug. 55

Z

S. ZAcharias Propheta. 5. Nou. 168
Zenobius & Zenobia. mm. 30. Oct. 159

FINIS.